CONTRA CONSPIRATORVM CONSILIA

Orationes Duæ.

HABITÆ, IN

NOBILIS. ET ANTIQVIS.

OXONIENSI ACADEMIA

5°. *Augusti.* & 5°. *Nouembr. Anno* 1611.

diebus Regiæ liberationis à Conspiratione

GOVVRIE, & tormentaria.

Quarum priorem

Viro Nobiliss. *Georgio*, Domino *Carew*,

Baroni de Clopton, *Aulæ Serenissimæ Reginæ*

Vice-Camerario, & Armamentarij

Britannici Magistro, &c.

Posteriorem

Rarae spei, Rarioris modestiæ, Rarissimi ingenij Iuuenibus,

HENRICO & THOMAE, fratribus, CAREY,

& GVILIELMO VVALER

Consecrat

Adam Reuter Cotb. L.

LONDINI,

Excudebat MELCH. BRADVVOOD

CONTRA

CONSPIRATORVM CONSILIA

Orationes Duæ.

HABITÆ, IN

NOBILIS ET ANTIQVIS

OXONIENSI ACADEMIA

5°. *Augusti.* & 5°. *Novembr. Anno* 1611.

diebus Regiæ liberationis à Conspiratione

GALLIÆ, & tormentariæ.

Quarum priorem

Viro Nobilissimo Georgio, Domino Carew,

Baronæ Cloptoni, *dulce Serenissimæ Reginæ*

Vice-Camerario, & Armamentarij

Britannici Magistro, &c.

Posteriorem

Rarae spei, Rarioris modestiæ Parissimi ingenij Iuvenibus,

HENRICO & THOMAE, *fratribus*, CAREY,

& GVILIELMO VVALER

Consecrat

Adam Reuter Coth. L.

LONDINI,

Excudebat MELCH. BRADWOOD

Dom. cIoIoxxii.

NOBILISSIMO MAGNIFICENTISSIMOQVE *Viro*, Georgio, *Domino* Carew, Baroni de CLOPTON, aulæ Reginæ *Vicecamerario, & Armamentarij* Britannici Magistro, &c.

LECTISSIMISQVE & nobili prosapia oriundis Iuuenibus *Henrico & Thomæ Carey* fratribus, & Guilielmo Vvaler S.

NOn *ita pridem fortè in* manuscriptum *incidens discursum, in quas simul incidi tum perplexitates!* Annibalem *enim, inueni, vidi, ad portas: Aduersariorum & insidiatorum sensi enses.* Prævalebant *enim* nervo, *antecellebant* astutia,

astutia, *cùm nos sine* neruo *viderent &* astutia: *illo apertè, hoc clam, vtroque contra nos, pugnabant, vt illo proprio, sic hoc nostro. Inter nos enim & nostros, virum viro committebant.* Leoni Leonem, *illi iterum* Rotam, Stellæ Harpygiam *opponebant.* Gladios & Equum *à concordi suorum affinitate retrahebant.* Leonem *conuersatione familiari apud suos suspectum reddere tentabant. Externum auxilium,* Leonum, *internis,* Liliorum, *Ibericis viribus auferebant, breuiter, (multa enim per circumstantias varias descripta, volens prætereo) suis, quod maximè execrantur, permittebant, non vt seruarent, sed vt tandem haberent quos interficerent.* Actum *de* Reformatorum *concluſiſſem, ferè perplexus,* fortuna, vita. *(Et quid ni? cùm vires suas hodiè vel maximè exserat) nisi &* naturam *considerassem* Omnipotentis, *& in* rem ipsam *penitùs introspexissem.* Illam, *agentem plerunque per contraria media,* hanc *semper Auctori* exitiosam, *quia semper* rationi *&* pietati *contrariam. An enim* Consilium *esset, inquisiui.* Negationem, *ex notatione, definitione, partitione, fundamento, modo, subiecto, ex Quando, ex Quomodo, ex Quis,* reperi. *Delineationem saltem horum aliquot (deductio enim*

omnium

omnium exactior, operi magis quam orationi conuenit) in duas hasce breuissimas Orationcidas retuli, vobis, Baro nobilissime, iuuenes lectissimi, *obtuli, munus,* non dignum *vestra expectatione, vtinam lectione, vel defensione. Quibus enim? & quæ? Tibi,* Baro nobilissime, *cui integritas & prudentia,* magisterium *Aulæ Reginæ, fides* Armamentarij regni, *virtus & natiuitas* nobilitatem, *promeruerunt. Vobis,* iuuenes ingenuosissimi, *quibus modestia aulas, diligentia prudentiam, ingenuitas, præter natiuam, pollicentur, nobilitatem. Ex vobis namque ipsis,* vos *commendo,* parentes, *qui, vobis fratribus, sunt,* ROBERTVS CAREY, Eques Auratus *dignitate, Monitor* Duci Eboracensi *fide & eruditione: tibi* VVALERE, THOMAS VVALER, *qui* Eques Auratus *simili dignitate, cognita in Regnum fidelitate* Custos Arcis *munitissimæ* Douer: *Inspectorem, qui vir Reuerendissimus & Doctissimus* IOHANNES PRIDEAVX *S.S. Theologiæ Doctor, &* Collegij Exonienſis Oxoniæ Rector, *amicus & fautor noster iucundissimus, vt externa mitto.* Vos certè, *(iungo omnes quos virtus) solum si inspicerem, ne lectionem quidem meæ impetrarent, sed quia stylo planissima,*

flore

flore ſterilia, pleraque, vel nouitate ingrata, à te, Nobiliſſime Baro, præter lectionem & politionem, correctionem, inſtructionem, quod prudentiæ, *à vobis, Iuuenes, excuſationem, quod* modeſtiæ, *ab omnibus, amorem, quod* pietatis *veſtræ & virtutis, expetunt & impetrant. Valete.*

Ex Muſæo.

NOBILITATIS VESTRAE,

&

MODESTIAE,

Obſeruantiſsimus,

Adam Reuter.

Oratio Prima.

AD NOBILISSIMVM GEORGIVM, DOMINVM CAREVV, BARONEM DE CLOPTON, Sereniſſ. REGINAE Vicecamerarium, & Armamentarij BRITANNICI MAGISTRVM, &c.

Fruſtra vti ad peccati ſui excuſationem Conſpiratores illo vulgari; Optimè conſulta ſæpè peſſimè cadunt.

QVod ſummus ille, Romanæ, pater & princeps eloquentiæ, CICERO, olim de ſe, idem ego, hodierna die; meliori iure, de me *timeo*. Nec enim iam armatorum militum cohortes, me, & locum hunc, ex quo verba facio, circumſtantes, nouam & terribilem iudicij conſtituunt formam, ſed *virorum*, eloquio comptiſſimorum, ingenio acutiſſimorum, iudicio politiſſimorum doctiſſimæ coronæ circumfluentes, abortiuam balbutientis eloquij efficiunt nomam, cauſamque ipſam, ſat idoneo patrono

 infeliciter

infeliciter destitutam, non fragilibus clypeis, non fallacibus ensibus, non incertè cadentibus hastis, non alijs, Martis dubij, caducis instrumentis; sed victricis consilij, indubitatæ praxeos, incorruptæ experientiæ, solidæ scientiæ, acumine summo, oppugnant, parum abest quin expugnent. Heu! qui honori deberent esse, horrori; qui loquenti incentiuum, balbutienti extinctiuum sunt. Factum infectum si fieri, hora præterlapsa à cursu reuocari si posset, quàm optarem, verba iam dicta, ea licet pauciſſima, ad originem rediret pristinam, & nunquam prolatis, nunquam cogitatis sese iterum associarent. Lucri essent eò redacta, quæ iam prolata, damno sunt. Stultitiam namque euitasse, vel eiusdem tantùm opinionem prudentiam infinitè auxisse, illam, vel leuiter ostendisse, hanc perdidisse est. Apud sapientissimum autem sapientissimè loquutum non esse, stultissimum æquè, vt apud stultum sapientissimè. Melior certè conditio tua, *Cicero*, mea. Te namque parentem experientia, te thori socium Suadela, te natura ipsa filium adoptauit, elegit, quæ contubernium mihi negat. Te forum & curia non hospitem, sed familiarem, sed planè domesticum, quæ & ex familiaritate confidentiam auget, quam mihi, quamuis minimam, inexercitato & peregrino immunuit. Te linguæ volubilitas, verborum pluralitas, memoriæ fœlicitas, rerum cognitionis auctoritas, actionis maiestas, vocis claritas, Oratorem perfectum concomitantur: me lingua, verba, memoria, actio, vox, rerum cognitio, relinquunt, deserunt. Te, vel propria cum aliquibus adsidentibus, vel cum cliente pro quo, solantur, vel miseratione rei, vel odio

inclinans contra aduersarium, causæ victoriam promittentes, notitia & familiaritas : me hæc, licèt non absim omninò personæ meæ (quot enim præsentes, tot fateor me videre fautores) tamen nec planè adsunt, nouitate rei temerarię, aura fauoris vti paululùm prohibent. Nec enim iam mihi Iudicibus audientibus benignè causarum merita, sed contradicentibus, & à partibus sapientissimorum stantibus agendum. Fauorabilis tibi causa, fauorabilis Judex, fauorabilis lex ipsa. Si vel probabiliter tantùm causam suadela condiente, & flore exornante Rhetorico, tuam deduxeris, fauor non tantum, sed victoria, gloria & honore tuo iuncta, certissima. Quis enim, Iudice, lege, causa fauente, victus abiret iudicio? At Iudice, lege, seu experientia, & consuetudine, longissimo tempore iam inde ab initio inter omnes sapientissimos quoque habitos, iure naturæ immoto immutabilique, confirmata, comprobata, causa denique ipsa, non superficiali præsumptionum, semiplenarum, fallaci sed sapienti applicatione firmissimè stabilita, contra propugnatorem loquente, qualis, nisi victus? Vincit sæpe præsumptionem iuris, Iudicis præconcepta opinio, ceditque, quod iuris est manifestissimi, facto, vel leuiter probato. Quomodo igitur ego causam hanc defendam, patronus inexercitatus? De facto si quæstio esset, facilius oratorio stilo, floribus variegato eodem allectus, fœlix & optatus compareret exitus, cum facilius, quæ sensus incurrunt externos, & manus hominum oculatas, &, *si picta videritis* : Ciceronis admittunt, causæ iudicem instruant, & ex oculis ipsis, sententiam, sine mora, hauriant : at de iure ipso cùm

 sit,

ſit, & eo quidem tali, quod, vt iam oſtenſum, legitima longi temporis præſcriptione, legis vim & proprietatem obtinet, quid aliud expectandum, quàm cauſæ perditio, temeritatis accuſatio, ſi non pœna? Caderem certe & ipſe cauſa hac, non ſecus vt *Cicero* & cauſam ipſam, cum *Milone*, ara, foco, patria, *expulſo* ad mulos comedendos exulem viderem, niſi pro ſe cauſa ipſa cum iuſtitia, niſi pro me pietas & iuſtitia iunctis viribus, ſtarent, aduerſariorum & contradicentium, aut ſaltem opinantium turmas, iuſta & legitima ratione eneruarent, euerterent, occiderent. Fatemur ſanè & libenter concedimus, tam tritum eſſe, & ab omnibus, vel ſapientiſſimis, & omni in re experientia, prudentiæ veræ officina, exercitatiſſimis, ab omnibus hiſtoricis fideliſſimè memoriæ traditum, frequentiſſimè vſurpatum, *Optimè conſulta ſæpè peſſimè cadere*, & è contra, *Peſſimè conſulta ſæpè optimè*: vt de hoc idem, quod de luxuria, quodam in loco, grauiſſimus *Seneca*, dictum hoc eſſe non hominum, ſed temporum. Memoria namque ſi vel antiquiſſima repetamus hiſtoriarum monumenta, fidiſſima ſi euoluamus præterita rerum momenta, nullum eſt facti genus, nulla natio, nullus populus, nulla lingua, quæ non clauſulam hanc rebus malis proſperè cadentibus, rebus bonis tragicè euenientibus, illis auctoramentum iniuſtæ laudis, his operimentum juſtæ ſtultitiæ adhibuerit. Si primam vix à condito orbe, teſte ipſa ſacratiſſima Scriptura, linguarum confuſionem factam, ſi fratrum *Ioſephi* proditionem & venditionem, ſi *Saulis* in Deum perduellionem, ſi *Abſolonis* in patrem conſpirationem, ſi eiuſdem *Abſolonis* & *Saulis* dila-

tam

tam & ſuſpenſam intermiſſamque patris generique inſequutionem teſtem, huc adduceremus, vix aliam ſuperbiæ ſuæ ſtultæ & infœlicis excuſationem inuenirent, adhiberent, meliorem hac. *Annibal* hac eadem vteretur contra irritos labores in Italia, turpem fugam ex Italia, infamem interitum extra Italiam. Hanc *Antonius*, hanc *Ventidius*, hanc *Cæſar*, hanc *Pompeius*, hanc omnis exercitus, omnis *Imperator*, omnis dux, rebus infœliciter cadentibus, pro excuſatione, lætè & fœliciter pro commendatione habuit. Hæc hiſtoricum eo induxit, referret vſu receptum eſſe, vt qui rem aliquam non rectè adgreſſi tamen fœlicitèr conficiunt, optimo conſilio vſi exiſtimentur, alij contra ſtultitiæ culpentur, cum re optimè deliberata voti compotes facti non ſunt. Hæc eundem fateri quaſi indignantem iuſſit, quod, quibus proſperæ eſſent res, ij benè conſuluiſſe ac ciuitatis amatores eſſe, quibus aduerſa euenſſent, ij patriæ hoſtes, & ſcelerati dicerentur. Hæc in cauſa, vt qui perierint, in reprehenſione omnium ſint, qui vicerunt, honoribus adficiantur. Sed quid *vetera* conquirimus, dum *præſentia* abundè adſint? Fruſtra ad antiqua, & credenda, quum videnda ſeſe offerant præſentia, recurritur, quæ hic infinita. Quis enim vel hodie tam rerum omnium & morum & hominum expers, qui non auribus audiat id quod ſuperius retulimus, & exemplorum ſerie, teſtimoniorumque breuiſſima comprobauimus, eſſe, ad res omnes, vel impietate, vel temeritate, vel fraude, vel negligentia perditas, recuperandas & excuſandas, & ſolam & frequentiſſimam viam. Campi, acies, caſtra, bella, duella, conflictus, victores, victi, actus

ſuos omnes hoc *elogio* claudunt, commendant, excuſant. Conuenticula quoque ipſa furum, latronum, conſpiratorum, inſidiatorum, vulgare hoc, impietati defendendæ, augendæ, operculum habent frequentiſſimum. Niſi triſtia lætis immiſcere, niſi contra antiquorum ſapientum vtiliſſima præcepta, tragica, ab orco reuocare, inciuile eſſet & ſtultum, vel hodierna dies, locupletiſſimus, in hanc rem, eſſe poſſet, teſtis. Nulla ſcio, alia ratione factum horridum, factum proditorium, factum ſacrilegum, iuſtè hodie patefactum, iuſtiſſimè punitum, complicibus ſuis palam excuſaret, clam commendaret, conſpirator & inſidiator hodiernus, quam vſitatiſsimo illo quidem, peſſimo tamen omnium omnino actorum, omnium peſſimè infectorum, remedio. Remedio! nec enim remedium eſt, ſed venenum. Non enim reficit, ſed inficit; non inficit, ſed interficit. Conſilium non eſt, ſed exilium; ſapientiæ non eſt, date veniam quæſo, vos antiqui ſapientiſſimi, vos recentes prudentiſſimi, vos præſentes doctiſſimi, loquendi & dicendi quod ſentiam, ne habeam, tacendo quod vrgeam, ſed ſtultitiæ. Oculos quæſo aperite, ſopore nebuloſo huius fallaciæ cæcutientis obfirmatos, rem ipſam mecum, præſumptæ ſapientiæ, ab antiquis conceptæ opinione abiecta; nec enim decet ſapientes opinione, ſed veritate inſpecta arbitrari: in planiorem aſpectum & penitiorem cognitionem diligenter excutite: hoc enim præuio, re ipſa liquidiſſimè videbitis, emplaſtrum illud falſiſſimum, nullumque conſpiratorum quorumcunque etiam, vel quandocunq; inuentorum conuenticulum & conſenſum, conſilium fuiſſe, falſitatemque illam, vanæ

næ illius & imaginariæ, nec dicere erubesco, impiæ impietatis, & stultæ excusationis fallaci & lubrico insipientiæ fundamento, superstratam fuisse. Ad rem igitur. Ast bellum inchoantes Ethnici pietatis specimina, & diuorum propitiatoria, & causæ bellique prosperè & fœliciter gerendi, curiosè & deuotè præmittebant, neglecta seuerè & sine commiseratione puniebant. Sic *Graci* ad Troiam abituri, purè lauti *Martem* & *concordiam* multis immolationibus sibi conciliant. *Romani* bellum deorum voluntate propter eiusdem fœlicem exitum, inchoant, rerumque prosperè gestarum gloriam, pietati vnicæ, infœliciter, impietati soli attribuunt: Et ego Christianus, *rei sacræ*, sic enim attestante *Pekio*, veteres consilium vocitabant, tractationem assumens, quod *Ethnici* religiosè obseruabant, negligerem? Rem talem sine placato numine præuio adgredi, sacrilegium est; sine opificis summi inuocatione in hanc aciem descendisse, exercitum proprium prodidisse est. Nulla enim victoria nisi ab Altissimo propitio. Te igitur, ó Æterne, pro hac huius diei læta institutione, pro *serenissimi Regis nostri*, fidei & Ecclesiæ tuæ *defensoris*, mirabili conseruatione, pro conspiratoris & consilij impij, iusta confusione, laudamus; pro huius diei continuatione longinqua, pro *Regis nostri custodia* benigna, pro impiorum latentium cuniculorum dissipatione supplices rogamus. *Vos quoque viri*, sapientia, eloquio, virtute, præstantissimi, ornatissimi, summis multijugisque precibus humiliter præstiris obsecramus, obtestamurque, opinionis velo reiecto, ipsius rei momenta perpendere, secundùm veritatis solidæ

Consilium res sacra.

normam

normam examinare more solito (iam enim dudum vestrum in iudicando candorem, in me iuuando amorem, in me, sine dolo peccantem excusando, fauorem, abundè expertus sum, & adhuc experior) nec contra sacratissimæ iustitiæ regulam æquissimam, ab executione, cognitione nulla præcedente, causæ decisionem incipere, sed cum iusto & laudato Iudice, actoris vel accusatoris partibus planè abiectis, affectu omni causam vel propugnante, vel oppugnante meam, seposito, alteram aurem mihi concedere benignè dignemini. Præter id enim, quod iudicium omne iustitiamque, & ita omnem Reipub. vel potentissimæ neruum corrumpunt, in iudicium assessores assumti, & consiliarij affectus: turbida namque sunt consilia, iniqua sunt iudicia, quæ affectu vel metus, vel cupiditatis, vel amoris miscentur: si accusasse suffecerit, quis tandem futurus est innocens, vt sapienter illud Imperatoris. Ast ne longiori verborum ambage præambula, & vestrum erga me fauorem & amorem suspectum reddere videar, vtpote, quia manifestum, contumaciæ, imo ignorantiæ esse accusationem, immodicam petentis præoccupationem, missa illa, conspiratorum lucifugarum ceu talpas in visceribus terræ latentes cuniculos, nescio an magis ridendos, an timendos censeam. Date veniam, vt rideam, quos vel potentissimi quique metuunt. Quis enim non rideret Chymicorum fallacia conamina, irritos labores, perditasque opes, modo ignis intensa, vel remissa nimis quantitate, modo astrorum, & influxionum cœlestium, neglecta pro tempore operatione, modo ipsius rei igne vel aqua corrigendæ vel transformandæ

Affectu mixta consilia incerta.

mandæ, à loco, in quo putatiua illa metamorphosis fieri debebat, signis diuersis, & in effectu diuerso in res signo illi subiectas patriæ diuersitate tegentia? Quis sapientem diceret in loco concluso puluerem sopitum pedibus manibusque excitantem, & tamen eundem puluerem in excitatorem reuolutum, molestiarum accusantem? Quis non rideret plumbeas naues immitis fluctibus maris committentem, & illis, grauitate naturali fundum petentibus, & salutem ipsam sui ædificatoris submergentibus, stultitiam suam iniquitate maris excusantem, & mare ipsum fortunæ & salutis suæ interfectorem accusantem? Frustra certè vos conspiratores & homicidæ & Regicidæ, id quod apertissimæ stultitiæ est, sapientiæ; quod manifestissimæ impietatis, deuotionis; quod certissimi interitus, salutis velo munire conamini. Frustra ad factum vestrum scelestissimum leniendum, & commendandum vtimini, *Optimè vestra quoque*, vt & aliorum infinitorum vel sapientissimorum, *consulta, pessimè cecidisse*. Nolite, nolite vos credere quos ad similis impietatis ministerium, turba latronum & conspiratorum, vana illa iam allata excusationis larua, sedulò, tam promissis quàm minis mercedeue inuitat. Hic certè *Thersitis* deformitas sub larua latitans, laruam ipsam, qua formosa apparet, deformat. Hic cauete canem. Hic latet anguis in herba. Hic mors in olla. Hic sub melle venenum. Optimè consulta dicunt? Successionum & fœlicitatum clamitant incrementa? Aliter se res habet. Experiemini certissimum illud sapientissimum historici: *Quorum Deus statuit euertere fortunam, eorum corrumpit consilia.* Consilium dicere non erube-

Consilia sua Deo tuersaria.

erubescunt? vt optimè consulcum commendare? Rationem ipsam consiliarium adhibete, quod hominis sapientiæ sinceræ, patentia arcana scrutinio explorate, quod Christiani, pietatis veræ felicissima prata considerate, quod pij, & stultissimum esse, hoc, quod sapientissimum gaudiunt, certò inuenietis. Non iam antiquiores illos errore sæuo lapsos accusator acerbus vel contemptor superbus in iudicium prouoco, prouocatos condemno: quis enim legitimè, quis iustè, quis iure, & non potius iniustissimè & contra omnia iurium sacratissimorum præscripta, contemneret, prouocaret, accusaret, condemnaret, quos neq; crassa culpa, neque voluntaria malitia, neque præsumpta calliditas, neque impia fraus, neque dolosus animus alium circumueniendi, lædendi, aut ad similia flagitia, innocentes, incautos, vobiscum conspiratores, exhortandi, excitandi, nocentissimos, à sacrilegio proximo crimine, excusandi: sed lapsus innocens, ignorantia non lædens, simplicitas non condemnans, incautos in id opinionis peruersæ induxit? sed commiseratione dignos potiùs censeo quàm odio, absolutione quàm condemnatione, excusatione quàm correctione. Correctio namque & pœna, delinquentem, iustum, vt puniat, non ignorantem: re honesta, contra iura, scienter, turpiter, fraudulenter, abutentem, non negligentem. Vos, conspiratores, vestrasque parricidales, & malitia plus quàm diabolica debacchantes manus, impia fraude, dolo malo, sacrilega calliditate, consilio, sapientia, ratione, scriptura, Deo ipso denique scientes quę non solùm abuuntur, sed re pessima, quasi piè & laudabiliter gesta, exitus incertitudine de

pietate

pietate consilij audacter gloriantur, vos (inquam) appello, vos accuso, vos condemno, vt, quos malitia contumax & propria, imò pietas ipsa Christiana, impios, non secus vt illos simplex integritas bonos, impietas Ethnica pios, meritò proclamat, condemnat: vos, quos non solùm concio hæc iam florentissima, doctissima, dignissimè stultos malitiosos videt, vos quos ipsa vestra, qua vtimini, excusatio vana, pessima, pessimos iustè cachinnat. Consilia enim ingeminatis, & ea quidem optima & optimè constituta: euentum at, nescio sanè annon sacrilegi Deum ipsum, iniustissimi, iusticiam ipsam, stultissimi, sapientiam ipsam, accusatis. Non mirum, si de religionibus, sacris & ceremonijs *L. Clodij* concio ducentis confixa Senatusconsultis ob neglectas, ruptas, violatas religiones, sacra, ceremonias, si ipse *Cicero* in concione de religionibus neglectis conquerens, homo talis, qui pulvinaribus Bonæ Deæ stuprum intulerit, eaque sacra quæ viri oculis, ne imprudentia quidem adspici fas est, non solùm adspectu virili, sed flagitio stupro que violarit, rideatur: & vos, qui non conficta illa & vana Deorum alicuius Ethnicæ numina, impudico vel adspectu vel contactu læsistis, læditis, sed qui eo ipso modo, quo consiliorum omnium, ne dicam optimorum, sacram inuictamque maiestatem, conspiratores, pessimi, inquinastis, prophanastis, euertistis abutendo, imò qui omnem penitus sensum, omnem religionem, hominem quoque ipsum, homines non homines, exuistis, proiecistis, conculcastis, de consilio, sine vllo sensu differere, *consilij* sacratissimam vocem pessimè, proditores, proditorie conspirationibus attribuere ve-

Consilij vis & effectus, naturaliè.

stris, præsumitis? Heu, sine fronte malitia est: θειότατον τῶν ἀνθρώπων, *diuinissimum inter homines*: ἱερὸν ἀληθῶς, *profectò sacrum, regnorum, ciuitatum, nationum, imperiorum, fundamentum, munimentum, stabilimentum vrbium, incrementum regium & maximum, iusticiæ comitem*, vt ex *Constantini* verbis *in orat. ad milites* apud historicum colligitur, fœlicitatis & fortunæ domitorem, fœlicitatis custodem, virium victorem, fortitudine meliorem, Imperatorum partem & corpus ipsum, fulmen, timoris exturbatorem, rectissimè & iustissimè appellatum, pessimi hi, ad scelera flagitiaque sua excusanda, commendanda, sacrilegi peruertunt. Magna certè & efficax impietatis animique dolosi vis. Quem occupat, obdurat: peccatique talis non nisi ex peccato defensio est: vt se defendant, peccant obdurati, defendunt vt peccent. A Dijs immortalibus quæ potest homini maior esse pœna furore atque dementia! Quis maior aut furor, quæ maior dementia abusu hoc? Animalia bruta, ratione omni carentia, quanto conatu & molimine abusum sui à se, velocissima & indefessa fuga, per ardua montium, per lubrica vallium, per roscida cespitum, per glebosa camporum arcere conantur! & hi, ratione præditi, abusu rationis se homine, abusu sui, diuina imagine, abusu imaginis diuinæ Deo ipso & præceptis diuinis vt abutuntur! Oculos, *viri vos*, propitios, & animos attentos huc parumper ab illis auertite, & mihi, si non propter me, (libenter enim & ingenuè fateor jejuna hæc mea, dum à me, ideoque sapientioribus me vix grata) propter ea tamen rationum, quæ contra aduersariorum tela & spicula, præsumptione tantùm & opinione va-

na incogitanter ferientia, decipientia, ex vobis produco momenta, ideoque & vobis ratione semper rectè vtentibus, rationem semper laudantibus, exercentibus, scio amica, aut si mea, ex vestra tamen mecum conuersatione doctissima & iucundissima in me deriuata, exemplo eorum qui propter amicum cohærentem inimico, parcite. Optimè consulta dicunt vel sæpè vel sæpissimè malè cadere. Quàm manifestum, quàm apertum, ratione euersa hominem bestiam fieri, veritate relicta in errores incidere, &, quod miserum, ex vno in infinitum! Consilio, dum ratione, abutentes, & veritate & natura quod abutantur, & quidem pessimè, cui dubium esse poterit? Cui enim dubium esse poterit, apud vos loquor, quos vsum rationis rectæ habere constat, id, quod firmissimis rationis immotæ fundamentis, suffultum, quod pietatis non fictæ sacris imbutum est, quale consilium omne, & sine quo quod est consilium id non est: vt diuino fauente Numine, altera nostra 5. Nouembr. proxim. fusiùs docebit oratiuncula: non posse non semper & vbique benè: non posse non semper & vbique optimè cadere? Constans illa & perpetua suum cuique tribuendi virtus & voluntas, num iniuriam procreare? num secundùm huius regulam & normam qui viuit, inhonestè viuere, alterum lædere, alicui suum non tribuere? Reliqua omnia, quod exstruit, conseruat, corroborat, reædificat, regna, ciuitates, vrbes: & quid longè remota petimus, cùm præsentia hæc pinnata domuum sacrarum superbientia loquantur, restentur que tecta: id, sine quo quod est, licèt natura sua munitissimum, firmissimum, fortissimum, corruat, omninò ne-

Consilium sine ratione nullum

ceſſum: id tale, inquam, ſemetipſum euertere, aut ab alio quocunque euerti? malo euentu infamari? infirmum, fallax, infœlicitatis mater proclamari iuſtè poterit? Philoſophorum ex & cum ratione ædificata, rerum & diſciplinarum omnium fundamenta, rectiſſimè docentia, falſitatem illam apertiſsimè oſtendentia, pro maxima & immota adſerunt, talem eſſe effectum, qualis ipſa eſt cauſa: &, impoſſibile eſſe effectum deteriorem eſſe toto genere ſua cauſa. Si igitur cauſa & conſilium ipſum bonum, ſi veræ pietati, ſinceræ rationi conueniens: hoc enim tantum eſt conſilium: quod enim bonum non eſt, conſilium non eſt: vt peſſimè poterit cadere? Annon natura ipſa ſemper ad optima tendit?

Quod bonum non eſt, conſilium non eſt.

Eſt in iuuencis, eſt in equis patrum
Virtus, nec imbellem procreat
Aquila columbam.

Nam *Fortes creantur fortibus & bonis.* Rectè admodum Poëta. At quid natura, quid ratione vtimur? vel locus ipſe & familiaris cum aliquo conuerſatio ſatis ſuperque illam reſocat, noſtram verò è conuerſo confirmat ſententiam. Quid enim annon videmus, ſuperbientia montium præruptorum juga, ſuperbientia quoque & effera procreare corpora? Ruſticas glebas ruſtica & inhumana? ſyluoſa loca & nemoroſa ſemifera? Quid magis quoque animos honeſto induit, dubioſque & in prauum declinantes ad rectum reuocat, quàm cum bonis & honeſtis viris conuerſatio? vt paulatim in pectora deſcendit & vim præceptorum obtinet, frequenter audiri, adſpici frequenter: vt occurſus ipſe ſapientium iuuat, eſtque aliquid quod ex magno

viro

vitam inclaucente proficias. Hærebit auaritia, quamdiu auaro sordidoque conuixeris, hærebit tumor, quamdiu cum superbo conuersaberis. Nunquam sæuitiam in tortoris contubernio pones, incendunt libidines tuas adulterorum sodalitia. Auarus, corruptor, sæuus, fraudulentus, multum nocituri: dum propè te sunt, intra te sunt. Ea philosophiæ vis est, vt non solùm studentes, sed etiam conuersantes iuuet. Qui in solem venit, licèt in hoc non venerit, colorabitur. Qui in vnguentaria taberna resederunt, & paulo diutius commorati sunt, odorem secum loci ferunt. Magna meherclè & admiranda conuersationis & continuæ familiaritatis in vtramque partem vis, magna & admiranda efficacia, ipsam naturæ prauitatem, si cum bonis & honestis, ad frugem, si non perducens, inflectens tamen: si cum pessimis, naturæ rectitudinem non tantummodo corrumpens, sed catenis malitiæ vincens, vinciens. Impossibile certè est, inquit eleganter recteque *in orat. ad Senatum*, Cicero, in libidine atque impudicitia educatum, non omnem suam vitam contaminare, ita, vt à rebus priuatis obscœnas voluptates et auaritiam ad publicas adferat. Et sanè, quid aliud *Sertorium*, aliàs olim victoriosum, felicem, sedulum, è conflictu discedere coëgit, multoque ad labores sustinendos remissiorem fecit, quàm quod consuetudine muliercularum, compotationibus, commessationibusque semetipsum corruperat? Quid aliud exercitum Romanorum fortissimum, partim domesticis, peregrinis partim constantem militibus, exercitum, quo Bactros, et his remotiores Indos terruerant, inutilem reddidit, quam cum muliercula con-

 uersatio?

uersatio? Hunc tantum apparatum, verba seu historici, peditum Romanorum et Latini nominis sociorum L X. M. equitum ordinariorum Hispanorum, Galloruмque X. M. ex alijs verò gentibus auxiliariorum XXX. M. vnam *Cleopatram* ferunt reddidisse inutilem. Fieri certè non potest, inquit Augustus *in orat. sua ad milites*, vt ij, qui regio luxui mollitieique muliebri indulgent, viro aliquid dignum vel consulant vel faciant. Est enim necesse omninò vt quibus vnusquisque vitæ rationibus vtitur, earum similis reddatur. In culinam intremus, et quem benè olentem ibidem inueniemus? Inter rusticos et irrationales qui nutriuntur, non magis sapere possunt, quàm benè olere in culina qui habitant. Si igitur locus, si conuersatio non potest non reddere incolam et contubernalem suum suis similem moribus, quomodo contra ordinem naturæ, contra auctoritatem scripturæ, consilium, bonum quod est, malè cadere: aut è contra, malum quod est, bonum operari poterit? Num loci vincentis vis maior et efficacior consilio semper inuicto? consuetudinis seducentis, quam rationis demonstrantis? vitij destruentis, quàm virtutis ædificantis? stultitiæ euertentis, quàm sapientiæ triumphantis? malitiæ interficientis, quàm pietatis perpetuo feliciter florentis? Nemo, puto, tam impudens insigniter futurus, affirmatiuè hæc qui propugnet. Et vt posset è Nos sapientum numina testes aduoco, vos consiliorum tutamina patronos inuoco. Vestra causa est, causam defendite vestram, neque concedite, gloria vestra inuicta, maledico aduersariorum telo confossa cadat, quæ alias cadere nescit. Fatemur, illa omnia, non exigua

in effectu habere virtutis suæ testimonia. At, annon sæpissimè & inter feras ipsas immanesque bestias humanitas habitat? nec inter, sed in ipsis? Ad contubernium vsque hominis, ferox, descendit, natura propria depositâ, leo. Inter scorta scortea nonnunquam inuenitur impudicitiæ & intemperantiæ victor, domitor, propulsator. Victor abit à lacessente Venere pudicus *Ioseph*: aspernaturque egregiam vltro sese offerentem *Alcibiadis* formam, *Socrates*. Ast nostrum hoc, quo de tractamus & quærimus, maiestate plenum, victoria glorioſum, fortitudine inuictum, quo vnquam tempore, effectus, naturæ suæ inconuenientes, ne dicam effectu, sed affectu tantùm, demonstrauit? *Nunquam vuas de spinis, nunquam ficus de tribulis*, inquit essentialis illa & æterna veritas. *Ex arbore bona, boni; ex mala fructus mali*: ex consilio, non nisi bonus finis & optatus. Et quis aliter sine rerum omnium & naturæ ipsius euersione veritatisque statueret? Si enim cadit consilium, cadat, annon necessum est aut vt tale, quod intimis suis in visceribus, corruptionis, destruens, singulis momentis tantum morti addens, quantum vitæ, tantum corruptioni, quantum accretioni, gerat malum, quodque articulum ipsum suæ generationis habeat primum momentum mortis, & ita per se, & sui natura, sit, corruptumnè dicam, an corrumpens? aut vt tale, cuius vitales & viuidi spiritus, sole calamitatum vrente, calore temporis longioris exiccante, rabido morbi dente exedente, vi horrida hostis alicuius aliunde aduenientis, insultantis, interficientis, & ita non propria, sed aliena manu cadant. Si verum illud, sique hæc natura consilij, siue simpli-

Consilium neque corrumpens est, neque corruptum.

citer, siue cum additione vulgaris dicti, (nullum enim dicimus esse consilium, nisi sit optimum, non quidem ratione qualitatis boni, sed ratione ipsius fundamenti consilij omnis, & materiæ iustæ) quid, quæso, inter stultitiam & sapientiam, stultum & sapientem, consilium & fatuitatem, prudentiam intererit & imprudentiam? curia quid opus? quid deliberatione? quid eruditione? Inter pietatem & impietatem qualis, rogo, relinquetur differentia? à priuatione habitus, ab homine bestia, à vita mors, à Deo ipso quid differet Diabolus? Quid stultius, vestra hac, Conspiratores, opinatione admista, consilia & consiliarios sapientes, natura bonos, doctrina politos, pietate insignes, experientia claros, ex populo, cum *Mose* & alijs, in sacra pagina laudatè commemoratis viris & regibus, donis sapientiæ & spiritus Dei abundè adimpletis, iustitiæ administrationi, iuris executioni, pietatis defensioni, malitiæ punitioni, præponere, vbi vel stultissimus quisque non secus vt sapientissimus, aut melius, rerum gubernacula & iustitiæ munia obire potest & exequi? Ite, ite vos hîc præsentes, sapientissimi, doctissimi, in exilium, loca vestra & domus, & iustitiæ, & pietatis, & sapientiæ officinas sacratissimas, stultis, insipidis, bestijs, concedite. Ite, ite, vos, ciuitatum, vrbium, curiarum, consistoriorum, iudiciorum, præsides, consules, Senatores, Iudices, Consiliarij: vos ipsi denique ad gubernacula & consilia (ad quid enim, vel quid, consilia?) residentes, & vos ite, rerumpublicarum onerosa pondera humeris sacris subeuntes, sustentantes, vncti vos Domini, & sceptra, fasces, gladios, secures; præmiorum & pœnarum æquilibram administrationem

ſtrationem deponite. Vltra namque ſtatas ſapientiæ columnas, præſumpta ſuperbia ac malitia delati qui ſunt, aiunt, volunt, iubent. Quid enim veſtra prodeſt vel prodeſſe poterit, opera, diligentia, eruditio, vigilantia? quem regem, vrbem, ciuitatem, ciuem, hominem, vel conſolari poterit, vel conſulere cui, conſilium? Deſtruit enim vt vltra ſapientiam habitatores dicunt, euertit, ruinat omnia, conſilium. Et quis non crederet? expertis maximè? Exemplis certè proprijs edocti, affirmare, & id quod aſſerunt, probare valent. Conueniunt, conſultant, deliberant, inquirunt, ſpeculantur, conferunt, concludunt, clam, palam, nocte intempeſta, die ſerena, in campo patentes, in camera latitantes, in cubiculo priuatim, imò, ne tedioſa longiorque illis via ſit ad mendaciorum & cædium patrem, ſub terra, in tenebris, ad focum, ad ignem, in delubro, in foro, hic ferro priuato, hic Marte aperto, hic inſidijs, hic veneno lento, hic ſtatim perimente, hic igne, hic puluere, hic hodie, hic nunc, hic cras, hic expectandum, hic properandum, hic arripiendam occaſionem oblatam, hic meliorem expectandam; & tamen, miſeri, quid labore ſuo indefeſſo, ſtudio diligentiſſimo, lucubratione inſomni, lucrantur, quàm vt verè dicant, corruptum eſſe conſilium & corrumpens? eſſe tale, quod ſua natura corrumpat ſemetipſum? Si tale concludunt, quidni igitur contagione ſua, non ſecus, vt de loci & conuerſationis natura paullo ante diximus, reliqua omnia quibus applicatur, corrumperet, euerteret? Nihil certè ad conſeruationem ſani corporis opus veneno: nihil medico morbo contagioſo contaminato. Inficit namque, non refi-

cit; destruit, non extruit; euertit, non erigit. Ast quæ impudentia! quæ malitia! quod scelus! quod flagitium! Impium *Pindaro* ἄπορα γαστρίμαργον μανάρων τιν' εἰπεῖν: *Absurdum, Deorum aliquem Helluonem appellare*: & hi, ratione omni malitiosè destituti, non vestrum, Romani, ignotum, consiliorum occultorum præsidem & custodem *Consum*, sed Deum verum, notum: Christianis namque & hi se annumerare non erubescunt: consiliorum auctorem, moderatorem, dominum, pudet, retulisse; sit igitur venia verbo: stultum, mendacem, sacrilegi, scelesti, mendacissimi, appellitant. Exurge Deus, vindica causam tuam, nomen tuum sanctifica, gloriam defende. Exurge, & dissipa hosce tui & gloriæ tuæ insidiatores, contemptores, conculcatores. Fac experiantur, te verum, te iustum; vera esse, iusta esse, da, confiteantur & sentiant hæc tua apud Prophetam: *Væ, qui bonum malum, malum bonum dicunt*. Bonum tu quod dici, hi malum: tu quod prodesse, hi obesse: tu quod salutare, hi pestiferum: tu quod verum, hi falsum: tu quod veritatem, hi mendacium falsè adstruunt. Vos quoque, familiarum, vrbium, regionum, curiarum, regnorum, orbis moderatores, domini Dei ministri, hic gladium, in Dei honorem, à Deo vobis in hunc finem (attestante Apostolo) datum, stringite, & conspiratorum omnium sacrilega, impijssima, rerumpubl. omnium & regnorum pestifera agmina, ab aris, focis, vrbibus, extra mundi terminos eijcite antequam eijciamini. Omnium ingratissima res est impietas veniam nacta, in tantum, vt misericordiam parricidio compenset, vt tollat à quo seruata est. Confidenter igitur agite & fortiter, quia

Consilium à Deo.

piè

piè egeritis, hoc si egeritis. Quæ enim, dicite, Deo iucundior, quæ melior, quæ pinguior, quæ acceptior, ab hominibus, suis maximè vasallis offerri & exhiberi poterit victima, quàm iustè fusus fugatusque sanguis nocentissimus? Quis autem sanguis nocentior, cuius mors iustior, quàm qui in Deum ipsum blasphemus, in vos iniurius, in pietatem sacrilegus? Qui, vt vos eodem, quo se, implicitos videat æternæ maledictionis, temporalis infelicitatis infelicissimis catenis & ploratibus, charitatis, vt Dei, sic & proximi, oblitus, impio & scelestissimo facto suo ne videatur iustas & condignas luisse pœnas, vos, iustitiæ executores iniustitiæ & tyrannidis accusare, impietate pari, sacrilegio non dispari consilia vestra & consiliarios in sua castra pertrahere non veretur, sed impigrè strenuéque nititur? Hæc vos non mouent? nec coniuges? nec liberi? nec domus? nec familiæ? nec vita propria? Famæ consulite vestræ, & insidiatores hosce aula vestra, curia, senatu, famulitio, exterminate. Vestræ famæ inhonesta ruina suam infamiam decorare quod conentur, quis qui non intelligat? Ne igitur patimini, vestra fama, à laudatis iustè decantata, scelere alieno lædatur, infametur. Patriam, regionem, religionem, consilio, sapientia, pietate, hactenus prudenter, sapienter, piè, qui defendistis, dilatastis, propugnastis, contra proditores domesticos, hostes circummuraneos, corruptores scelestissimos, iam virtutis vestræ & breuissimi versiculi, *ne quid detrimenti patria, regio, religio capiat*, memores, diligentissimè præuidete. Præuidebitis autem, si clypeum hunc, conspiratoribus & consiliorum omnium corruptoribus detraxeritis. Firmissimè

cit; destruit, non extruit; euertit, non erigit. Ast quæ impudentia! quæ malitia! quod scelus! quod flagitium! Impium *Pindaro* ἄπορα γαστρίμαργον μανάρων τιν' εἰπεῖν: *Absurdum, Deorum aliquem Helluonem appellare:* & hi, ratione omni malitiosè destituti, non vestrum, Romani, ignotum, consiliorum occultorum præsidem & custodem *Consum*, sed Deum verum, notum: Christianis namque & hi se annumerare non erubescunt: consiliorum auctorem, moderatorem, dominum, pudet, retulisse; fit igitur venia verbo: stultum, mendacem, sacrilegi, scelesti, mendacissimi, appellitant. Exurge Deus, vindica causam tuam, nomen tuum sanctifica, gloriam defende. Exurge, & dissipa hosce tui & gloriæ tuæ insidiatores, contemptores, conculcatores. Fac experiantur, te verum, te iustum; vera esse, iusta esse, da, confiteantur & sentiant hæc tua apud Prophetam: *Væ, qui bonum malum, malum bonum dicunt.* Bonum tu quod dici, hi malum: tu quod prodesse, hi obesse: tu quod salutare, hi pestiferum: tu quod verum, hi falsum: tu quod veritatem, hi mendacium falsè adstruunt. Vos quoque, familiarum, vrbium, regionum, curiarum, regnorum, orbis moderatores, domini Dei ministri, hic gladium, in Dei honorem, à Deo vobis in hunc finem (attestante Apostolo) datum, stringite, & conspiratorum omnium sacrilega, impijssima, rerumpubl. omnium & regnorum pestifera agmina, ab aris, focis, vrbibus, extra mundi terminos eijcite antequam eijciamini. Omnium ingratissima res est impietas veniam nacta, in tantum, vt misericordiam parricidio compenset, vt tollat à quo seruata est. Considenter igitur agite & fortiter, quia

Consilium à Deo.

piè

piè egeritis, hoc si egeritis. Quæ enim, dicite, Deo iucundior, quæ melior, quæ pinguior, quæ acceptior, ab hominibus, suis maximè vasallis offerri & exhiberi poterit victima, quàm iustè fusus fugatusque sanguis nocentissimus ? Quis autem sanguis nocentior, cuius mors iustior, quàm qui in Deum ipsum blasphe-

famæ inhonesta ruina suam infamiam decorare quod conentur, quis qui non intelligat ? Ne igitur patimini, vestra fama, à laudatis iustè decantata, scelere alieno lædatur, infametur. Patriam, regionem, religionem, consilio, sapientia, pietate, hactenus prudenter, sapienter, piè, qui defendistis, dilatastis, propugnastis, contra proditores domesticos, hostes circummuraneos, corruptores sceleratissimos, iam virtutis vestræ & breuissimi versiculi, *ne quid detrimenti patria, regio, religio capiat*, memores, diligentissimè præuidete. Præuidebitis autem, si clypeum hunc, conspiratoribus & consiliorum omnium corruptoribus detraxeritis. Firmissimè

missimè namq; concludo, & quis non mecum ? hodierna dies videret & experiretur multò fideliores, multo diligentiores, cautiores multo consiliarios, nisi conspiratorum malè feriata turba edocti, consiliorum suorum, licet temerariorum, quandoque & pessimorum & impijssimorum, quæque non possunt non aliter quàm pessimè cadere, & sua ruina, ceu arbor maxima, vi ventorum sedibus suis euulsa, circumiacentia omnia, quassare, mactare, laruam hanc haberent impietatem excusandi, negligentiam commendandi, vnicam. Iacerent, & rubiginem condignam experirentur cruenta & impia illa *Machiauelli*, quorum in omnibus ferè aulis, regionibus, ciuitatibus, vsus, ne dicam frequentissimus, sed vnicus est, decipula : starent florerentque infinitarum vrbium, regionum mœnia : viuerent honesta fama & ita vita, multorum nomina, nisi euersa, submersa, igue, gladio, sanguine, per palliata hæc & impia, de quibus loquimur, fuissent mendicabula. Hæc sunt hæc, quæ rempublicam omnem exedunt : hæc laqueus ille sunt melleus : hæc fundi omnis calamitas : hæc conspirationes proditionesque spe propagandi procreant : hæc proditiones conspirationesque spe celandi nutriunt : hæc proditiones conspirationesque spe excusandi efficiunt. At quam benè ? Nutriunt, vt interficiant ; defendunt, vt enecent ; propugnant vt condemnent, vt satis mirari nequeam, quo stultitiæ delati larua hac impia vtentes & scelera sua ita excusantes, ad hanc, ceu asylum, recurrere audeant. Corrumpens dicunt, aut quod maius & verius, corruptum, & tamen sese rei corruptæ, sceleribus & sacrilegijs onusti, committunt. Stultissimum, naui

sese

ſeſe ſciſſoris hianti, credere : ſtultiſsimum ab inimiciſsimo & inſidiatori, contra amicum, conſilium & auxilium expetere. Aſt ſic iuſtitia diuina ordinatum, cum beſtijs prædam quidem, foueam autem quæ ante prædam eſt, minimè, videant; vt impij, impietate obcœcati, ſine luce vitæ vitam quærentes, mortem inueniant; ſalutem venantes, interitum capiant; conſilium inueſtigantes, ſtultitiam habeant; medicinam appetentes, venenum hauriant. Corruptum illi quod putant, vt vel ex ſuperiùs relatis ſatis conſtat, firmum ſanè & firmiſſimum eſt, licet malis hiſce fragiliſſimum & infirmiſſimum. Num autem per ſe & ſua natura? Non ſecus vt verbum viuificum, malo & abutenti, non vita, ſed mors eſt : non quòd verbum venenum, ſed quòd eo qui vtitur, venenatus & malus. Nec tamen ea conſtituti ſumus nos tritiſſima & communiſſima in opinione, quaſi nimirum iremus aut inclinaremus ad partem frequentiſſimam eorum, qui conſilium ab alio corrumpi poſſe, vt apertiſſimo ſic conſtantiſsimo ore ſtatuunt. Qui enim cum illis ſine læſione & euerſione rationis omnis, auctoritatis omnis, experientiæ omnis, poſſemus? Qui ſine impietate rem ſacram hanc & Deum ipſum ſine blaſphemia, ſine ſacrilegio pietatem ita accuſare auderemus? Vulgare illud & verum, pro nobis ſine contradictione faciens,

Sine Deo conſilium interitus conſulenti.

——— eorum ſucceſſibus, opto,
Quiſquis ab euentu facta notanda putat,

vt taceamus, annon veriſsimum, quod vbi conſilijs impijs, iura quidem prætenduntur, legeſque & Catonianę & Caſsianę ſuco per litę reſidere Iudices, agitur autem quod agitur ad voluntatem prætumidæ poteſtatis,

Conſilium euentu non infamatur nec iudicatur.

ſtatis, & ex eius libidine vitæ incidentium neciſque momenta penſantur, ibi capitalis vertatur pernicies & abrupta? Quam benè & quàm ſapienter *Cicero* olim alio modo, quàm hoc, vſus eſt, ex facto euentum, non autem è contra ex euentu factum eſtimans, dum, *cum Clodium*, inquit, *ambuſtum religioſiſſimis ignibus cognoui, muliebri ornatu, ex inceſto ſtupro, ex domo Pontificis maximi, emiſſum, vidi, ac multò antè perſpexi, quanta tempeſtas excitaretur, quanta impenderet procella reipublicæ.* Hæc egregia illa eſt, & recta, rectè de rebus conſilijſque iudicandi methodus, hæc, quam ipſa ſapientia vera, & orbis dominatrix præſcripſit, forma, & in tantum, vt & ipſa ſacra pagina, & immota ſapientiæ diuinæ veritas, tramite hoc decurrens, ex re ipſa ad euentum concludat, non peruersè ex eo quod poſtea euenit. Ius quoque noſtrum ſacratiſsimum hanc procedendi, & controuerſias non leues, recta via iuſtitiæ decidendi inſiſtens, quàm ſtrictè, quàm accuratè obſeruat normam? Quid enim in iure magis ſine dubio, magis verum, magis cognitum, quàm in cauſarum deciſionibus, ex facto maximè, contra ius in aliquo peccante & quid committente, ortis cauſas ipſas ſeu factum tantum conſiderari, & animum eius peccati alicuius coram Iudice qui accuſatur, vt quia delictorum omnium formæ & qualitates dependeant ex rei ipſius, qui arguitur animo? qui cauſam vel iniquam vel æquam, vel rigoroſè condemnandam, vel benignè abſoluendam oſtendit? Quis quoque æquitatis & iuſtitiæ amans non condemnaret, peccantem dolo malo, animo fraudulento, propoſito, & conſilio deſtinato, nullo habito reſpectu

eius

eius quod fortè fortuna post peccatum commissum, excusatione aliqua dignum, oriretur? Quis ex post facto legitimo, antefactum illegitimum, diceret legitimum? Quis ex accidentali, quod, vt Lectorum loquuntur scholæ, indifferenter se habet ad esse vel non esse, rem ipsam, iam ante accidentis huius interim natura existentiam, vel bonam vel malam argueret? Hunc sanum modum, & iure, & scriptura, & ratione præscriptum, approbatum, frequentatum, si & nostri hi palliati obseruarent mendaces, non in labyrinthum illum errorum, sine spe redeundi, inciderent, alios seducerent, sacratissimam illam consiliorum vim, insipidi, calumnijs traducerent, sed nobiscum certè volentes lubentesque affirmarent, consilio nihil diuinius, nihil fortius, nihil inuictius. Arma magna, maiora consilia: arma fortia, fortiora consilia: victricia arma, victa tamen sæpè, at inuicta semper consilia. *Acceptis cladibus* Mithridates, *nihil animo fractus, verum plus in consilio, quàm in armis & viribus præsidij ponens, magnis agendis rebus natus, nihil non audendum sperandumue putabat, corporis & virium infirmitatem animi consilijs fouens.* Iulianus, *corporis munus à milite, quod arma, ab Imperatore verò animi, quod consilium, poscit, turpeque existimat sapienti, cum animum habeat, laudes captare ex corpore.* Tiberius, *se non esse dixit ad Germanicum reuocandum à D. Augusto in Germaniam missum, plura consilio, quàm vi effecisse iste gloriatur. Sic Sicambros, in deditionem acceptos, sic Suenos, sic regem Marobodum pace obstrictum, sic posse & Cheruscos, cæteroſque rebelles gentes, quando Romana vltioni consultum vinci.* Cæsaris *consilijs & institutis urbem stabilitam te-*

Consilio nihil fortius.

stis

ſtis locupletiſſimus Cicero. Tullus *ad Suffetium, fatetur ijs qui aliorum imperium obtinere voluerint, duo adeſſe oportere, & in bello vires, & in conſilijs prudentiam, affirmatque ad tantam amplitudinem quæ tunc erat, tantamque potentiam rempublicam Romanam, intra tertiam ab vrbe condita ætatem excreſcere neutiquam potuiſſe, niſi & ex mia fortitudo, & prudentia in ea fuiſſet.* Auguſtus, *plus fiducia in conſilio, quàm in apparatu ponit.* Et miſſis infinitis alijs, ſapientiſſimorum & prudentiſſimorum Ethnicorum licet, Imperatorum, ducum, militum, hiſtoriarum monumentis decantatorum, teſtimonijs fidiſſimis, nulla certè eſt ætas, nulla gens, etiam maximè barbara, quæ non omnibus in rebus, extremè aduerſis & deſperatis, ad conſilium, ceu ad inuictum & tutiſſimum ſalutis felicitatiſque cucurrerit, curratuè templum : nullus omnium, qui non res proſperè feliciterque geſtas & confectas, vnico referat conſilio. Omnia trophæa ſibi poſita, grato animo conſilio reſignat victoria, vſque adeo, vt vel exinde firmiſſimè ſtatuendum, nullum eſſe conſilium, quod nos nominamus conſilium, hoc eſt, niſi veram rationem, ſi Ethnicè, veram pietatem, ſi Chriſtianè loquamur, matrem habeat & auctorem, quod non poſſit non optimè cadere. Vt enim aliter poſſet ? Annon metum omnem, vel maximum, extra terminos mittit animi ? metum, inquam, infinitos regno, fortunis, domibus, corpore expellentem ? *Nec enim conſilijs*, inquit eleganter hiſtoricus, *juxta metum locus eſt, ſed vbi animum conſilia anteceperunt, ſtrenuè admodum timores exturbant.* Annon ipſa fortuna aliàs quæ decantatur rerum omnium domina & regina, conſiliorum eſt pediſſequa ?

dissequa? *Fortuna consiliorum adiutrix bonorum*, inquit *Valentinianus* Imperator. Felicitas ipsa, annon fidum consilio exhibet ministerium, mandata adimplendo, non dando? Felicitas dico, quæ raro sese submittit frenis vel potentissimi, sed non obediendo illis, maiestatis suæ & venerationis venatus auctoramentum? *Felicitas*, dicit sapienter Ammianus Marcellinus, *& fortuna, adiutrix consiliorum bonorum, quibus qui non utitur, felix nullo pacto esse potest: Ergo in consilijs perditis impijsque, quibus Cæsar usus erat, nulla poterit esse felicitas.* Consilijs rectis, annon ipsa stricto gladio assistit iustitia, omnia, licèt fortissima, consilijs insultantia, fidem, obedientiam, seruitium ijsdem denegantia, inuicta mundi domina, frangens, fugans, enecans? *Rectis consilijs iustitia adfuerat*, ait grauiter Constantinus *in orat. ad milit. iustitia autem & æquitatis semper solet iungi victoria*: verba sunt Iuliani in orat. ad exercitum. Quod igitur asylum afflictarum, cui pietas fundamentum, cui fortuna famulatur, felicitas quod honorat, perturbationes quod fugiunt victæ, iustitia & æquitas gladium cui accommodum, stultorum vt id subiectum magistro? vt ab eodem rectum iustè & cum ratione dici potent? Quid contra hæc omnia, vel hiscere tantùm, auderet? Deo pro nostra stante parte, quis manum contra nos leuare? Vbios ab Idæis montibus Iupiter conuertet, tuum consilia Deus Sabaoth. Tace, tace igitur, stultos, qui stultissimè & sine ratione, irrationales ipsi, re ipsa, reliquæ naturæ nullo modo considerata, rem iniustam, reip. cor fortissimis & inuictissimis comitibus, ex omni parte, contra omnem quamcunque incursionem, ei-

cunſeptam, vt infirmam, fallacem, fragilem, traducere, quod malitiæ veſtræ eſt, cauſis extremis falsaciter adſcribere, quod veſtræ ſtultitiæ, diuinæ ſapientiæ impiè tribuere non veremini. Ignari non ſumus, ſed in hoc libenter manus damus ſæpiſsimè conſiliorum quorundam optimè apparentium, executionem fuiſſe ſuſpenſam. Quis enim hoc, vel mediocriter in rebus verſatus, vel breui tantum in mundi vario curſu commoratus, denegare auderet? at quid exinde? Num verificabitur impium illud, quod, vt ſtultiſsimum, reijcimus, conſpiratorum & ſtultorum ſymbolum? Patitur & ſol ſplendidiſsimus, quandoque, interuentu tertij ecclipſin: inuidia quoque & odium haud rarò ſi non ſemper, virtutis radios caligine ſuffundit atra, quis tamen exinde ſolem planè extinctum, virtutem omninò ſepultam affirmaret? Tantum certè abeſt, vt plus incrementi quàm damni, plus accretionis quàm decretionis patiantur & ſol & virtus. Naturam illius ſi conſideraremus, ſi effectum ad cauſam reducentes Philoſophorum ſcholam ſecuti fuerimus, flamma ſol eſt: ſi ſapientiſsimorum virorum monumenta & reſponſa euoluerimus, lumen & ſerenitas virtus eſt. De flamma igitur & lumine à flamma oriente quid magis appoſitè dici poterit, quàm illud ſapientiæ omnis magiſtri? Quemadmodum flamma opprimi nequit; circa id enim quo vrgetur diffugit: quemadmodum aer verbere aut ictu non læditur nec ſcinditur; circa enim cui ceſsit refunditur: ſic conſilium tenuiſsimæ exrationis & pietatis inuictæ ramentis conſtans, deprehendi aut opprimi non poteſt, ſed beneficio ſubtilitatis & pietatis ſuæ, per ipſa quibus premitur,

Conſilij executio interdum ſuſpenditur.

inuicta erumpit. Solum consilium præstat gaudium perpetuum, securum: etiamsi quid obstat, nubium modo interuenit, quæ infra feruntur, nec vnquam diem vincunt. Sed largiamur vinci quandoque consilia, eorumque actum & executionem non ad mediocre tempus suspendi, sed planè sine effectu aliquo emori & interfici, falsissimumque esse, & exemplis infinitis in contrarium adductis ostendi posse illud frequentissimum & vsitatissimum: *Tandem bonæ causa triumphat*: demus, aliquando sub iusto clypeo perire innocentem, vt benè ille: concedamus, tesseram Venus, prævalere tesseræ Pietas, *vt de Cæsare & Pompeio alibi historicus*: num tamen exinde id conspiratorum & stultissimorum symbolum confirmabitur? num euentu aliquo consilium victum esse demonstrabitur? Vrgere multis noluimus illud Poetæ:

Victrix causa Deo placuit, sed victa Catoni:

rectè monebat ille Darium Persam, de exercitu suo gloriantem, aureum argenteumque militum suorum, clypeorum, hastarum, ensium, chlamidum, cassidarum, apparatum fulgentem ostentantem, ferrea autem *Alexandri* arma, quia ferrea, vilia reputantem & contemnentem, & ex vtriusque exercitus armaturæ imprudenti superbaque collatione ad victoriam suam stultè concludentem: *Ex illo*, dicens, & Alexandri exercitum innuens, *ferro, qui illos gemit, auxilia quærenda sunt*. Egregia certè sapiensque viri oratio, egregia pro nobis nostraque sententia confirmanda, aduersa confutanda, ratio. Si enim consilio vires, quid aliud quàm Asiaticum Europæo, imbellem bellatori, aquilæ columbam, sapientiæ stultitiam opposueris?

Consilia consilijs opponenda, consilia consilijs committenda. Nisi enim consilio consilium non viceris, Consilium victum, nulli, nisi consilio, manus dabit victori. Nullus, nisi consilium melius, triumphum agit de consilio, quod sua victum est inualiditate. Ipsa conspiratorum omnium, phrasi illa, quam, vt malam, rectè impugnamus & reijcimus, vtentium cohors insipida, si nulla adessent alia, fidem, rei quam tractamus, facientia; exemplo proprio id confirmat. Dicite namque Conspiratores, & re errore introducta, stultorum calculo comprobata, pro vera vtentes; impia vestra, in vnctos Domini, custodes Decalogi, vicarios Altissimi, sacrilega & parricidalia machinamenta dum tenditis, cui potius fiditis, aut in quo spem impiam, fiduciam fallacem, reponitis? In consilijs vestris, haud puto, negabitis. Vt quoque possetis? dum obloquuntur vobis & hodierna, quam gratiarum actione, ad liberatorem summum directa, concelebramus solennem, dies, & quam eodem, quo hanc, laudis sacrificio honorabimus breui? Nec quoque aliud est cui possetis? Quem quoque alium, re impia & subterranea & infernali, iustè detecta, iustissimè punita, accusatis, in quem alium culpam detecti ac puniti sceleris, reijcitis, transfertis? in consilium vestrum. Pulueris vestri impij, Dei Opt. Max. benigna prouidentia, Consiliariorum regni huius pia prudentia, disiecti dissipatique rupturam felicissimam, proditorie vt resarciatis, sacrilegè emendetis, vd quid aliud refugium habetis, cuius alterius aram adoratis, quàm sceratissimi consilij? Dum agitis vos, initium omne, medium omne, finem omnem, dum iniuriam omnem, prudentiam

Consilium apparens inualiditate propria vincitur.

tiam omnem consilio adscribitis, cur non & exinde simul concluditis, non, nisi à consilio, consilium vinci? Stultissimi vos quod facitis, num sapientiores & sapientissimos facturos esse dubitabitis? Quis omnium, qui antequam manu, non vtatur mente? antequam auxilio, consilio? antequam calamo, animo? Quis omnium, victoriam, vnquam adscripsit armis, & non potius consilijs? Vsque adeò arma cedunt consilijs, vt consiliorum, arma, trophæa sint, vt vbi consilia exigua fuerunt, assumentur pro consilijs negligentiæ aduersariorum. Stultitia victorum, victoribus quandoque sapientia. Quam malè igitur, quamque insufficienter dictum *Heraclitii* illius Ephesij, qui, pace tanti viri dixerim, apud *Marcellinum* asserens admonet, & ab inertibus & ignauis, euentus, fortuna variante, superatos aliquoties fuisse viros præstantes. Nunquam certè ignauiam diligentiam superare possibile, quia nullum consilium, nisi consilio, subiectum. At, quid diximus, consilium subiectum consilio? Verba nostra, iam relata, non ita intelligi, nec in hunc sensum rapi à quoquam volumus, quasi nimirum castris iam accederemus contrariorum & aduersariorum, & quasi mox incogitanter destrueremus vix nouiter à nobis exædificata, statuentes, consilium vinci à consilio ratione virium vincentis. Absit hoc statuamus. Hoc affirmare neutiquam erubescimus: vinci consilium, non ratione virium consilij vincentis, sed ratione virium consilij victi. Vincit namque consilium, non quia vincens aut melius aut fortius, sed quia victum, firmum bonum non est, aut quia planè consilium non est. Huius sententiæ nostræ veritas tam in

propatulo,

propatulo, tam in aperto, vt vix probatione aliqua indigere, nobis rectè videatur. Spernunt tumultuantes ventorum flatus robore duro, fixisque terræ visceribus altissimè radicibus, haud cadunt sat firmo subnixæ pondere quercus. Maris æstu furente, & cœlum terra miscente, videt fluctus insurgentes & verberantes, stans immotè Marpesia cautes: fugit, leuitate propria fugata arena. Contra vim morbi venientis quam contumax, quam intrepidum, robustum: contra autem morbum vel leuissimum, quàm timidum, quàm flaccidum est, corpus imbecille & tenerum? In corpore moriente magis vitium est, in quercu cadente malum, non in morbo, non in vento. Non fundum sentina muè haurit petituè nauis fluctibus iactata tempestuosis, quia iactata, sed quia infirma, ad resistendum, compages nauiculæ est. Sed quid iterum longius progredimur, & ex longè dissita regione & mari ipso probationum momenta assumimus, domestica cùm adsint? Conspiratorem tantum hodiernum, in medium, concedite, producamus, & oculis mentis vestræ subijciamus, & illis ipsis oculis vestris videbitis immotum pro sententia nostra stabilienda argumentum. En namque, dulce canens, vt Regem nostrum serenissimum conspirator regicida, parricida hodiernus, inermem armatus, nihil timentem insidiator, locorum & diuerticulorum domus ignarum, angulorum peritissimus, in locum remotissimum, in locum vndique conclusum, in locum parricidio destinatum, in locum morti innocentissimi præparatum, seducit. In spelunca cum lupo agnus solus est: inter proditores innocentia est, inter accipitres columba est. Fremit

dentibus

dentibus efuriens bestia, omni auxilio destitutum adoritur. Inermem, sica, lorica, gladio, armatus, ira, inuidia, sceleris inflammatus, infra iram suam esse putat parricida, parricidali manu mactare. Sceleris ministro scelus exequendum mandat. Adest, armatus totus, ferreus totus, paratus totus: adest ex improuiso: adest, armato auxilio, inermi excidio. Dicitur sententia Regi, à regicida: iubetur exequi minister, præmijs inuitatur, pœnis vrgetur, minis excitatur. Inter armatos, inter ferreos, inter paratos, solus, inermis, mitis, imparatus, Serenissimus noster est. Ah, ecce, sic se, Æterne, disponente, Fidei & Ecclesiæ tuæ defensorem defendente, alloquitur auctorem, increpat executorem. Vnctus Domini, protector noster (maximum certè curæ diuinæ pro Regum defensione momentum) loco, tempore, occasione non obstantibus, cunctis inuitantibus, nec animum sequitur manus, nec manum gladius. Labitur ferrum, tremit dextera, mens fatiscit. Desperatio, spem impiam trudere conatur, inermis, vita durante armato moriendum dictitat, in morte inermis armato vnicam vitæ & salutis spem esse ingeminat. Nec hic maiestas inermis à Regicida insultans desperatè, sica propria exuitur, prosternitur, occiditur. A quo autem? Farebitur, ictu, à proprio consilio. Manus namque mortuæ, genua tremuntia, timorem internum loquuntur, pallor, imbecillitas, testantur. Conscientia itaque læsa consilio proprio, victa consilio proprio (impropriè hoc dicimus consilium, & parricidarum tantum illorum voce vtimur) timorem incutit conspiratori, sua & vita exuit. Nec vox, *Tyrannus*, credes apud Tyrannum

excitat, ſed ipſe timor iuſtus, tyrannum ſemper, vt corpus vmbra, concomitans, tumultus & mactationes cauſat. Intra hominem nocentem ſunt, non extra, cum nocente ſunt nocentem quæ vincunt, vt de ſimili *Seneca.* Non igitur tam aliorum conſilio quam ſuo proprio, omnis conſpirator. Cùm enim omnis conſpiratio ſit res per ſe & ſua natura à Deo ipſo Æterno & Summo & irato & iuſto ſeueriſſimè prohibita, à Sanctorum Eccleſia omnique piorum cœtu æternum maledicta, ab omni populo, natione omni, ſemper damnata: cùm ipſa per ſe in euocantem, honorantem, adorantem ſe, inſurgat, comitata gladio, rota, catenis, cruce, eculeo, igne, &, tortoris more, omni tormentorum apparatu cruentiſſimo, caput Erynnis, faciem ira, facem furia, cumque talis, vt non poſſit non inſidiari, interficere, num tam ſtultus poterit eſſe quis, vt talem non timeat, venientem non abigat, inſidiantem non depellat, interficientem non fugiat? Cohabitare lupis, vrſis, leonibus, quis ſecurè? quis ſine metu mortis vel morte, draconibus & ſerpentibus? quis ſine tremore cum latronibus armatis ſolus ambulare? Omnium horum contubernium certiſſima morte penſandum. Certiſſimum ſanè tritum illud, & alias omnibus notum: Conſilium malum conſultori peſsimum. Quod malum, quomodo bonum producet? Num ex mendaciorum patre veritas? Quod priuatiuum, quomodo poſitiuum procreabit? Num mors vitam, tenebræ lucem? Quod bonum eſt, ſi bonum profert, certiſsimum, quod malum eſt, non poſſe non proferre malum. Si enim bonum & hoc, vbi, quæſo, differentia inter bonum & malum?

Conſilium malum conſultori peſſimum.

inter

inter pium & impium? inter Deum & Diabolum? Si bonum, non nisi bonum, quis negauerit stultissimos & malitiosos illos, qui bono malum, malo bonum, quia bono malum, contra naturam, scripturam, rationem tribuunt? qui optimè consulta sæpè pessimè cadere, & è contra, verbis, factis, exemplis confirmant, secus ac sapientes olim aliqui Ethnicorum, secus ac ipsa sacratissima pagina? Quid enim illi aut quomodo accipiebant thema illud falsissimè vsurpatum? Ex infinitis millibus paucos vt adducamus, *Sapor*, Persarum Rex, *in Epist. ad Constantium*, elegantissimè, sapientissimè, regiè: *Illud* (inquit) *apud nos nunquam acceptum fuit, quod asseritis vos exultantes, nullo discrimine virtutis ac doli prosperos omnes laudari debere bellorum euentus.* Gabinius ad Quirites: *Accurata*, ait, *consideratio ab initio adhibita in actionibus perdurat, omnibusque emolumento cedit.* Iulianus quoque Imperator in oratione ad milites: *Negotijs*, dicit, *difficillimis sæpè dispositio tempestiua prospexit, & statum nutantium rerum, recto consilio in bonam partem accepto, aliquoties diuina remedia apparuerunt.* Quid quod & in ipsa sacra scriptura Spiritus Sanctus per os Prophetæ, ipsum sacratissimum salutis & æternæ vitæ auctorem, *Consilium* appellitat, post Sybillam, quæ Σύμβουλον, *Consiliatorem* Lactantius. Digna sanè vocis *Consilij* significatio, vis & efficacia, vt ipsi etiam Christo veriissimè queat applicari. Quam impiè igitur, quam stultè, vanè, impiæ & sacrilegæ conspiratorum rimæ abutantur, cum veteribus aliquot, errore inducto, ignorantia corroborato, abusu in vsum deducto, fallaci & impio scuto hoc, nemo est qui non videat. Contra na-

Consilium bonum non potest non bene cadere.

Christus ipse Consilium.

turam est, contra scripturam est, contra rationem est, contra ius est, contra pietatem est. In rationem & naturam iniquum, in sapientiam & ius iniuriosum, in Deum & Scripturam blasphemum: quia naturâ, ratione, scriptura, Deo, illud vt falsissimum, ita hoc certissimum: Pessimè quod cadit, aut consilium non est, aut consilium malum est, quia optimè consulta non possunt non semper optimè, pessimè consulta non possunt non semper pessimè cadere.

FINIS.

Oratio Secunda.

AD RARAE SPEI, RARIORIS MODESTIAE,

Rariſsimi ingenij Iuuenes, fratres Henricum & Thomam Carey, & Guilielmum Vualer.

Conſpiratorum Conſilia non eſſe Conſilia.

SIc natura quaſi comparatum, vt vitium omne, vix vnquam nomine condigno infamari, ſed ſemper è contra titulo virtutis gaudere & inſigniri, vnicè velit, rariſſimè culpam deprecando eandem fateri. In hiſtoriarum præteritarum monumenta, animi & recordationis ſi deflexerimus oculos, Marianæ & Syllanæ tempeſtatis primi motores, in media licèt vrbe & foro, quaſi in arena, ciues ciuibus committant: ipſi ſæuius quàm aut in Punica aut Cimbrica ciuitate ſæuiant, Octauij Conſulis caput pro roſtris

exponatur, Antonij Consularis in Marij ipsius mensis: Cæsar & Fimbria in penatibus domorum suarum trucidentur: Crassi, pater & filius, in mutuo alter alterius adspectu: Bebium adque Numitorium per medium forum vnci trahant carnificum: obsideatur iusticiæ & consilij officina curia: patres vrbis de Senatu, quasi de carcere, qui iugulentur, educantur: in ipso refugij & pietatis sacrario cædes ante ipsas aras debacchetur: Morula, Flamen Dialis, in Capitolio, Iouis ipsius oculos venarum cruore respergat; tamen non tantum quasi re benè gesta, illos, quos non benignitas & clementia impiorum, patriæ quia, victorum, sed vt essent quibus imperarent, eripuerat supplicio, frigido admodum clementiæ miserè solantur edicto, *Quod felix*, inquiunt, *faustumque sit, vos dimidio patrimonij vestri priuamus*: verumetiam in publico luctu patriæ publicas lætitias sub mortis pœna celebrare iubent, & infortunium luxisse, maiestatem, sacra, leges, violasse, sæui legislatores decidunt: imò non tantùm vituperari nolunt, quòd patriam, quòd Italiam, quòd curiam, quòd templa, viris, legibus, ciuibus, sacris priuarint, quòd ciues vita, fortunis, libertate denique ipsa spoliarint, humana omnia diuinaque euerterint; sed laudari insuper volunt, quod non omnes, miserrimos, patriæ adhuc funerandæ superstites, morti crucique manciparint. Egregiæ & regalis munificentiæ laudem assequi se posse existimat *Alexander* ille Magnus: licet enim scit recta veraq; Scythæ: *Tu*, inquientis, Alexander, *qui gloriaris te ad latrones persequendos venire, omnium gentium, quas adisti, latro es. Lydiam cepisti, Syriam occupasti, Persidem tenes*,

tenet, Bactrianos habes in potestate, Indos petisti, iam etiam ad pecora nostra auaras & instabiles manus porrigis: tamen fastu superbissimo afflatus, ciuibus oppidi cuiusdam, pro redemptione sui agros suos λύτρον offerentibus, quasi iam totius orbis, & immortalis Iouis, felicitatisque ipsius inconstantis, inuictus victor, respondet, *se non venisse vt acciperet quod darent, sed vt haberent quod relinqueret.* Vlterius si progressi fuerimus, omnium factore & scelerum vindice iustissimo, de scelere à fratre parricidali in fratrem commisso, inquirente, parricida crimen contegere vt conatur? se, interficiendo fratrem, iustè fecisse; Deum è contra, inquirendo de interfecto, iniustè: *Num ego* (ait) *custos sum fratris mei?* Et primus parens noster, ab eodem, foliorum, malè fido tegmine lapsum atrocissimum celare non erubescit. Seruituti & morti reseruasse, clementia esse vult, non abstulisse omnia, liberalitas, interfecisse sanguine proximum, iustitia, omnem posteritatem æterna felicitate fraudasse, pia prudentia! Sic sane vel hodie adhuc quid frequentius? Nulli iactantius *Drusum* mortuum mœrent, quàm qui plus gaudij ex morte illius suscipiunt. Et quid mirum? Nihil magis velo dignum, quàm quod inhonestum, quod peccatum, ideoque & omnes id natura celasse, vix vllus natura satagit euitasse. Sed ô stultitia! ô impietas! Cuius homines pudeat, commissum, quod mortem esse certissimam sciunt, desperatissimè venantur, auidissimè tuentur. Tantum adhuc, diuina benignitate, post lapsum miserum, hominis reliquum & rationis, vt naturæ ductu quid recto desit intelligant, & tamen, impietate voluntaria victi, longissimo malitiæ

tiæ interuallo furioſam illam antecedunt Medeam, quæ —— *video* (inquiebat) *meliora, proboque,*
Deteriora ſequor.

Deterius enim, natura quod vident, imò ſciunt, non fugiunt, ſed nomine boni commendant. Sed en vim & tyrannidem peccati! en profunditatem erroris à via legis & præcepti diuini! Cum amiſſa via, ipſa quoque ſimul amittitur ratio. Videt peccans malum, nec tamen vt malum fugit, ſed vt bonum apprehendit, defendit. Rationis acumine facinora fugienda ſcit, & tamen ratione omni quaſi priuatus, in id quod fugiendum ſcit, ſedulus incumbit. Vitam & felicitatem vult, mortem tamen amplectitur, & quam amplectitur ab eadem miſerrimè trucidatur. Nec mirum. Relicta enim vita & via, quid aliud interuenire poterit medij, quàm mors? poſtpoſita veritate, quid aliud præſens poſtponenti, quàm apprehenſorem euertens mendacium? Quàm vana igitur futura illa impiorum caterua vſitatiſſima & ſolum frequentiſſima praxis, quæ viribus ſuis, & humanæ rationis nugatorie fallaci labore freti, ſapientiæ veræ tramite legitimo, ſolum conſtanti & felici poſthabito, ad fraudulentas rationis falſæ lacunas, ſeſe conuertit, & exinde oleum nutriendis conatibus ſuis peſſimis eruit. Exempla multa corradere hucque transferre ſi vellemus, volumine integro enumeratio nuda vix circumſcriberetur: at quia in re manifeſtiſſima verſetur oratio noſtra, nulluſque veſtrum, viri, reuerentia, eruditione, pietate, humanitateque ſpectatiſſimi, adſit, qui veritatem huius ſententiæ, ex ſacratiſsimis fontibus, & ipſorum quoque Ethnicorum libris, iamdudum non didicerit, irritum laborare,

laborare, & aures vestras attentas præsumpta audacia obtundere neutiquam volumus, hodierna maximè die, qua, Deo Trinuno semper benedicto, Deus ipse, hoc quod intendimus, facto, ad omnem posteritatem commendando, probauit. Humano enim more loquuti si fuerimus, pessimum illud & execrandum hominum genus, quod Deo, virtute, honore, fama, fide, honestate, pietate, vita ipsa neglectis, in perniciem omnium nostrum conspirauerat, nùmnon conatum parricidalem re ipsa ferè adimpleuerat? Sic sanè, iam enim in manibus eramus & faucibus inimicorum: iam de morte nostra non tam consultabatur inferenda, quàm disputabatur de iure hæreditatis nostræ inter ipsos conspiratores impios diuidendo. Iam hic pessimus regicida, præmium, regium sibi imaginabatur diadema: hic agros, hic thesauros spe impia deuorabat: hic, quantum ex bonis nostris in nudos meretricum titulos erogare, quantum in gulæ parricidalis nutrimentum exponere posset sumptuum, lætus anxiéque computabat. At quo cum successu? Num qui expectationi conspiratorum, qui conatui respondérit impiorum? Lætare, lætare, tu, orbis gemma florentissima *Anglia*: lætare, lætare, tu, *Fidei Defensor serenissime, & orbem omnem, salubrrimis consiliis, scriptis doctissimis, pacauit* IACOBE. Lætare, lætare *Reformatarum Ecclesiarum felicissima & inuicta Societas*. Te enim verum & vnicum fidei veræ esse domicilium, *Anglia*, impiorum conatus, Dei ipsius certissimè ostendit cura. Te fidissimum esse veræ fidei Defensorem, conspiratorum, ceruicibus vix sacratissimis tum imminens gladius, & liberatio tui, IACOBE, à Deo

ipso in defensionem fidei, facta, demonstrauit. *Angliam*, Sanctum Sanctorum, vt cuius sub vmbraculo arca veri lateat fœderis, Philistarum horrendus & execrandus tumultus, Deus, salutem huic dans Regi & regioni, edocuit. Nec hoc solùm, verum: sed lætare *Anglia*, lætare IACOBE, lætare *piè Reformata Ecclesia*: hoc vno eodemque facto, tibi, IACOBE, *Anglia*, *Ecclesia*, insidias strui, sed irritas, præcauendas quidem, non autem timendas, ab hominibus, ab hominibus impijs, imò à nullis, quia non ab hominibus, quia ab hominibus impijs, manifestissimè ostendit & indubitatè probauit. Sed quid dico ab hominibus? Num homines rationales appellabimus, qui animalium irrationalium numero, impietate sua semetipsos eximunt? Irrationales saltè eos dicere, illosque irrationalibus adnumerare, cum ratione, num poterimus? Frustra, frustra, vos, conspiratorum illorum miserrimi & infelicissimi qui estis asseclæ, qui fautores, qui promotores, factum hoc regicidarum & parricidarum consilio aliquo niti confiditis. Consilium enim, classicum canentes, dum ingeminant, velo inhonestum honesto tegunt. Consilium dum vrgent, ad rem detestandam suscipiendam vos incitare conantur. Consilium dum dicunt, vos in æternam infelicitatem parricidæ præcipitare satagunt. Fatemur, multa efficere consilium, asserimus, nihil vnquam vel fortissimum, vel munitissimum, vel firmissimum potuisse subsistere, cuius fulcrum non fuerit consilium. Solum enim consilium inuictum, quia sola ratio inuicta, quia sola ratio, Deo inuicto, si non par, proxima tamen.

Consilium inuictum in ratione fundatum.

Dijs proximus ille est

Quem

Mens, neceſſum, regat & gubernet manus : calamus gladium, conſilium auxilium. *Ariſtoteles* neceſſum iungatur *Alexandro*, *Palamedes Agamemnoni*, *Polidamanta Hectori*, *Vlyſſes Achilli*. At in conſpiratoribus hiſce quod conſilium inueniri, quæ victoria, quæ proſperitas, quæ felicitas, reperiri, vbi ratio inuenitur & reperitur nulla ? Irrationales namque, ignoſcite, viri doctiſſimi, humaniſſimi, ita loquar, contra totam illam, ſapientiæ ſingularis, deuotionis extraordinariæ, ſanctimoniæ decantatæ, pietatis raræ, zeli pij nomine, ſi Dijs placet, vnicè ab infinitis, & ijs quidem potentiſſimis terrarum, commendatam cohortem. Fateor quidem initio, rem, quam diximus, talem, ſuperficialiter & perfunctoriè tantùm conſideranti, videri neutiquam concordare moribus eorum, quos titulo iſto & irrationalis nomine condecorauimus. Nec enim, niſi rerum omnium nos ipſos ignaros, non tam accuſare quàm condemnare temerè voluerimus, negare poſſumus, illos, aduerſarios noſtros & conſpiratores ſceleſtiſſimos, labore & vigilijs ſuis infinitis, inſomnes noctes, inquietas dies, tranſigere, & ſedulitate, non tantum ſedula illa formicarum agmina, ſed noſtra quoque infinito interuallo antecellere conſilia. Eunt, enim, abeunt, veniunt, congregantur, recedunt, defatigatis militibus nouos, contra illos quos inimicos exiſtimant, ſubſtituunt, per vices perpetuam aciem, perpetuo pugnantem, conſilijs, vigilijs, inſidijs, conſeruant. Vt vnda vndam, ſic conuentus conuentum, conſilium trudit conſilium, & hoc non finitur, aliud niſi immediatè ſubſequatur, & ita re aptè probant, ſeſe

& acumine plus quàm humano, præditos. Quis enim rationis compos affirmare auderet, illum, ita sese qui gerit vt hi, spe lucri adipiscendi maximi, euitandi mali pessimi, ratione subsultum incitatumque quod agit, non agere? Sic enim ad voluptatis summum, quod putat, bonum, citatissimo gradu fertur Epicurus, ad diuitias auarus, ad honores ambitiosus, ad culinam gulosus, ad fornicem venereus & impudicus. Et vt hisce amor consequendi bonum vela reddit turgidissima, & nauigia promptissima, sic metus mali imminentis cunctis alas addit pedibus. Sic

Impiger extremos currit mercator ad Indos,
Per mare pauperiem fugiens, per saxa, per ignes.

Sic quoque mortem, sic cruciatum, sic captiuitatem, sic seruitutem fugit instantem, timore, bestia, in hoc rationalis, vt quandoque partibus corporis propter quas insidias sibi strui à venatoribus & persequentibus scit, non secus vt nauta iactura, proprijs dentibus amputatis & præcisis, seruari quod potest, redimat. Fugiendo autem sic & sequendo rationem aliquam, bonorumque & malorum discretionem, numnon apertè ostendunt? Magna sanè & inuicta certissimaque, non videretur tantùm, sed esset, contra nos, pro aduersariorum & conspiratorum rationalitate, date veniam verbo, ratio, si non vera ratio immotaque ex hoc ipso illorum vigilandi actu continuo, nos, in sententia nostra non tantùm corroboraret, verum etiam vlterius, ex eodem fundamento, illos, quam ipsa animalia irrationalia, magis irrationales esse adstruere iuberet. Sinite, sinite, vestra bona cum venia, irrationale in locum hunc sanctum, & consessum conspectumque

vestrum

vestrum adferam augustissimum. Nec enim notum illud & experientia firmatum vel vestra, in medium producere dilector : piscator ictus sapit ; sed canem quem non videmus, semel in loco aliquo fustibus læsum verberibusque, etiam post longa temporum spatia ad locum infelicem redeuntem, latratu, iniuriæ sibi factæ ibi meminisse, imò longo circuitu locum eundem, ceu contagiosum & infortunatum, euitare? Rana Ægyptia, vt rerum secretarum naturæ solertes referunt scrutatores, contra Hydrum, Nili alumnum pugnatura, frusto arundinis subito demorso, & per os obliquo, patentem oris aduersarij amplitudinem roburque immensum prudentissimè eludit. Ægyptius canis, neque continuè, neque ad satietatem, neque liberè, vehementer quamtumuis sitiens, bibit ex fluuio, ita vt inclinare se & furtim lambendo satiare ausit. Metuit enim sibi, & suspectas habet in eo latitantes bestias. Prætercursa igitur ripa & furtim raptimque bibit, quantum est capere iterum atque iterum. Ita deinde saturatus ex interstitijs, non perit, & sitim nihilominus restinguit : vulpes quoque marina, prudentia quam plena est! Escam hamatam appetit, hamum tamen ante escam prehensum abradit, & ita escam lucratur, capturam sui euitat, piscatorem deceptum cachinnat. Nec præsentia tantum, futura ipsa quanta rationis dexteritate sollicitè exquirunt, exquisita in vtilitatem suam vertunt, & prouida anticipatione futurum malum contemnunt! Domo enim aliqua, vel temporis iniuria, vel ignaui patrisfamilias incuria, ruinam minitante, mures ex casura domo gregatim migrantes, ruinosa hæc sua domicilia relinquendo, tuti-

ora inquirendo, casum euitant & periculum. Fame, regioni quam inhabitant, imminente, formicæ, quanto cum conatu, quanto studio, antequam veniat, quam venire prudenter colligunt, maiore certè multo, quàm quotidiano & vulgari, arma, ad reprimendos instantis hostis famelici insultus, conferunt! tanto sanè, vt euidentissimo testimonio suam prudentiam, & irrationalem vitam, horum, de quibus nos loquimur, conspiratorum, prudentiæ & sagacitati præponendam, liquidissimè demonstrent. Hi enim, post corruptam semel iterumque suam, post seuissimè punitam, &, vindice gladio iustissimè vindicatam imprudentiam & stultitiam impiam, cautiores num & effecti meliores? Optandum hoc maximè, sperandum nunquam. Experti namque licet, diuina & immutabili iustitia constitutum: *Ne apud Conspiratores, præda, impietate conspirationis parta, sit diuturna*: pulchertimè à Dijs immortalibus comparatum, licet sciant quod inquiat bene & recte variarum compilator historiarum, *nullam tyrannidem ad tertiam vsque generationem propagari*: legerint licet, aut saltem audiuerint, aut, quod idem est & eodem recidit: inter scire namque & scire debere Lectorum nullam constituunt differentiam scholæ: legisse, audiuisse, vidisse debuerint, *Scudilum* distillatione jecinoris, pulmones interficiente & euomere cogente, interijsse, ob conspiratione olim crudeli oppressum Gallum: diuinum Numen nullam aliam ob causam meritò supplicio persecutum esse *filios Anci Marcij* quam ob *L. Tarquinium* ab ijsdem conspiratione occisum: iustam vltionem, *Druso* iubente, enecasse *Percennium* & *Vibulenum* ob conspiratio-

nem:

nem: *Mettium Suffetium*, inter duos currus religatum, pernicibus equis distractum, ob insidiosam in Romanos conspirationem: Deos, *Atardum*, Damasci præfectum, *Darij* fortunæ proditorem, celeriter debita cum pœna prosecutos esse ob conspirationem & proditionem: *Bruti & Cassij*, egregijs aliàs viris conatibus & cœptis obstitisse facinus conspiratorium in *Cæsare* perpetratum: eosdem ijsdem oppetijsse confossos gladijs, quibus *Cæsarem* interfecerant: *Cethegum, Statilium, Gabinium, Ceparium, aliosque Catilinæ sceleris socios*, in carcere miserè strangulatos, ob nefaria patriæ opprimendæ consilia: & tamen Antonij hi, quorum facta imitantur, eorum exitus non perhorrescunt. In tantumne, conspiratores, patricidæ, regicidæ, sui obliti, vt ne animal quidem se esse irrationale reapte conijcerent, multò minus igitur homines! Si enim tales, vt possibile præstarent, & manus suas mentemque rei huic, rei, toti orbi inuisæ, omnibus honestis cordatisque exosæ, à pijs omnibus & Christianis damnatæ, rei, gladio, igne, ferro, rota, eculeo, cruce, semper & vbique vindicatæ, rei, nunquam omnino optatum ad præsumptæ & imaginariæ felicitatis portum deductę, accommodarent.

Oderunt peccari mali formidine pœnæ.

At hi, malo peiores, si non pessimo, amant peccare amore pœnæ. Recolligite vos, & vbi sitis, videte, quis sitis, cognoscite. Extra naturam ipsam, extra rationem, illam quoque, animalia qua gaudent & prædita sunt bruta. Extra namque rationem nisi essetis, per rerum naturam vt fieri posset, contra rationem, contra naturam ageretis? Annon enim certum ac planè indubitatum,

indubitatum, natura ipſa, vtpotè immutabili lege conſtituta, docente & approbante: Neminem naturaliter poſſe velle contrarium eius quod naturaliter vult? Et contra: Neminem naturaliter poſſe velle contrarium eius quod naturaliter non vult? Res ipſa tam manifeſta, vt probationem adferentem vel adferre tantum conantem ſoli addere lucem iure ſuo edicat. Nec ego tam importunus vobis, Auditores, futurus, vt aures veſtras rei notiſſimæ longiore probatione lædam, aut mentes veſtras, ſapientiæ & doctrinæ ſolidioris ſplendore candidiſſimo illuminatas, prolixiore deductione ignorantiæ alicuius ſuſpicione onerem. At negabit ſcio, aduerſarius, hoc, quod iam intendimus, & ſuum conatum conatu omni non tantum defendere, ſed commendare quoque, & maximè omni naturæ conuenientiſſimum eſſe, connitetur. Nec enim talia eſſe volet. Sed actionem ipſam & laborem conſpiratorum horum tantum, oculis noſtris ſi ſubiecerimus, nihil citius, nihilque liquidius vel cœcutientis aciem incurret, quàm veriſimum eſſe, contra naturam hoſce agentes, eum tantum habere fautorem, & actionum ſuarum auctorem, cuius proprium eſt contra naturam agere, primum illum nimirum defectionis ab innocentiæ ſtatu beatiſsimo patrem, interfectorem ab initio. Quis enim omnium eſt, qui non ſciat, natura ſua hominem eſſe auidiſsimum diſcendi? & docendi? *Mens humana veritatis auida* vſque adeo, vt cupiditas illa ſciendi noua inducat veterum neceſſariorum. Indos, & Ægyptum, & Perſas, & Chaldæos, terra marique neutiquam obſtantibus, magno, ſumptuum, temporum, laborum, vitæ cum diſpendio,

dio, amore discendi excitus, consequitur *Democritus*. Auiditate discendi ab vltimo ferè termino terræ, Hierosolymas vsque ad audiendam sapientiam sapientissimi *Salomonis* Regis, sexus fragilitate teneritateue haud attenta, Orientis proficiscitur Regina. *Orphei* quoque fabulosa schola, ipsas aues, feras, saxa quoque & montes, discendi auiditate incensa, loco mota, & natura mutata, in præsentiam cantantis numinon allexit? Et, si *Ciceronis* sapientiæ, fidei quid & auctoritatis tribuendum, quam apud vos, Auditores ornatissimi, maximi esse momenti nullus dubito, nullus hominum, qui, eruditione aliqua præ alio præditus, iucundissimè secum agi persuasum non habeat, si erudiendi alterum occasionem fuerit nactus aliquam. Tanta certè est & tam vehemens veritatis vis & efficacia, vt omnes amore & cognitione sui accendat, vsque adeò quoque, vt iterum, *Ciceronis* & experientiæ testimonio subnixi, statuamus, quemadmodum omnes natura vnicè expetunt scire & inquirere veritatem, ita è contrario omnes omninò ipsa natura declinare & fugere id quod veritati repugnans est & contrarium. Firmissima, & tam generalis ratio, vt vix persuaderi humana ratio patiatur, inueniri aliquem, qui à natura procreatus, à natura educatus, à natura lactatus, in naturam ipsam, procreatricem, educatricem, lactatricem insurgere ingratus audeat aut eam impugnare. Sed ita est, vt impietati sese committentes, naturam ipsam dedisce in eum finem pessimis naturæ monstris & prodigijs, quod vel ex ipsissimo actu in quo conueniunt, occidendi, in quem conjurant, exsequendi, in quem consultant, propugnandi, plus quam manifestissimum,

nifestissimum. Ad quid autem tam ardenti studio, tam improbo labore, tam animoso cursu, anhelantes feruntur? Ad consilium quidem, sine tamen ratione, & ita non ad fortunatos successus sibi procurandos, quam malos sibi accelerandos. Si enim cum ratione, rem ipsam, ad quam procurandam, ad quam pangendam procurrunt, viderent & inquirerent in id solum, quo duce peruenirent ad id quod tantopere venantur: Consilium vndè. Siue enim agatur *de conciliando*, siue *de consulendo*, siue *de consiliendo*: variant namque sapientes de consilij derivatione, quibusdam prius illud, quibusdam medium, postremum quibusdam propugnantibus: annon meritò & solum decurrendum ad id quod legitimo tramite ad id quod colunt, & quod tam feruenter expetunt, deducere illos potis est? Nec enim auarus profusionem, feruotis sui, nec tenacitatem sordidam prodigus desiderij sui modum cogitat adimplendi, sed solem adoraturus, solem versus faciem vertit deuotam, Oceanoque sese mergentem Tiranem itineris sui terminum optatissimi apertissimum constituens, auroram versus continuo cursu neutiquam tendit, sed, vt alterum futuram sibi requiem tutissimam vnicè expetit, sic alterum econtrà maiori studio, vt irrequiem molestissimam, summa ope fugit. At hi nostri, fortunam inquirentes, propugnationem sui suorumq; mentientes, felicitatem venantes, prosperitatem ingeminantes, proh Deum atque hominum fidem! quorsum feruntur? quo rediguntur? quo abripiuntur? Infelicitate, infortunio, periculo, interitu, inferno denique ipso merguntur. Veram enim viam, eamque vnicam, dum derelinquunt, viam nimirum illam, quæ sola felicitatis

citatis arcem & aram deducit, nihil aliud reſtabit, quàm, vt erronea via ſeducti, miſerrimum in interitum, deuiantes peſsimè, incidant. Nec enim hic error, niſi interitu, errantem donat, huiuſque erroris ſummus, vnicus poſtremuſque gradus eſt cadere & æternum mergi. Mendacium autem conſpiratores omnes dum amplectuntur, quomodo veritatem adipiſci, quomodo mendacij triſtiſsimum & intemeciuum fructum euitare poterunt? quomodo ſeſe eo, dum irrationales eos ſuperius diximus, eximere? Siue enim felicitatem ſuam per *An*, ſiue per *Quem*, ſiue per *Quomodo*, ſiue per *Quando*: tot enim exiſtimamus res quæ in conſiderationem ſiue conſultationem aliquam quamcunque, tam bonam quam malam: dabitis tamen veniam, viri, quod hiſtoricum Troianarum rerum ſequuti, conſultationem, rem ſacratiſsimam, rei, omnium peſsimæ ac deteſtandæ attribuamus: nec enim nos, quod conſultatio vera ſit, aut conſilij nomine auguſto digna vllo modo cenſemus, conſpiratorum infeliciſsima & execranda conciliabula, ſed eorum tantum verbo vtimur, apud vos, qui, quantum illi ſit ſua natura tribuendum, optimè didiciſtis & noſtis: in conſultationem, inquam, & ſubſequentem actionem deducuntur: metiantur, ſemper tamen & vbique & infelicitas certiſsima, & irrationalitas craſſiſsima, ipſo conſilio atteſtante, luce meridiana patebit clarius. Annon enim omnis conſultatio, quamcunque tandem decernens partem, ſiue ſcopum ipſum, ſiue modum commode perueniendi ad ſcopum: hæ enim duæ ſunt omnis conſilij partes: natura ſua præſupponit neceſſariò præcedentem dubitationem

Conſilij ſubiectum.

Conſilij partes.

aliquam, siue in vtraque partium, siue in alterutra tantum? dubitatio autem omnis annon ignorantia, vel saltem ignorantiæ similis? Tam vtrumque notum quam quod notissimum. Quis enim dubitaret, de re, quam certissimam esse ipse exploratissimum haberet? cui nihil dubitationis alicuius vel ignorantiæ scrupulum injiceret? *Rogo*, inquit ad Trajanum Plinius, *Domine consilio me regas hæsitantem.* Quis autem, nisi ignorans, hæsitaret? quis, nisi hæsitans, consilium expeteret, consilium caperet? Historiam sacram si viderimus, in primo innocentiæ statu primus parens noster, quia sapientissimus, quia rerum suarum & omnium certus, rebus omnibus conuenientissima non solum sciebat imponere nomina, sed costa sua adducta, confidenter & sine hæsitatione: *Hoc*, dicebat, *est os ex ossibus meis, & caro de carne mea.* At post lapsum miserum & lapsus pœnam sequutam, sapientia illa in stultitiam mutata, sapiens homo stultus deuenit, horrenda sanè & deploranda capitis minutione ne dicam an amissione? Iusta tamen punitione transgressionis, quæ cum fuerit malitia: nemo enim, nisi malitia, peccat, cum & lege diuina, errantem & inuolùntariè quid contra præscriptum legis diuinæ committentem, asyla diuinitus ordinata, ab insequente & vlciscente defendant: num non stultitiam simul: *hanc enim soloecismum esse malitiæ*, ex *Euripide* rectè probat Actus: ipso peccandi actu inuexit? Si igitur stultitia, si ignorantia, si peccatum, annon ex re ipsa, consilio & consultandi actu demonstratur, recurrendum vnice & solum esse ad id, quod fuit ante dubitationem, ante ignorantiam, ante stultitiam, ante peccatum? Neminem tam

Consilium non, nisi in re dubia.

Consilij fundamentum pietas.

sine

sine mente & corde futurum confido, qui hoc vllo denegare ausit modo. Mores namque & consuetudines iterum, ipsorum quoque Ethnicorum, si inspexerimus, simili negotio, consultatione aliqua indigente, exoriente, ad nihil aliud, quam ad id, quod diximus, manus intenderunt, hoc tantum supplices adorarunt, hoc solum auxilium implorarunt, rationem volumus & statum ipsum integritatis & ita tandem Deum ipsum, vel id, quod adhuc ex integritate in ipsis, integrum si non, reliquum tamen, Ethnicis. Cùm enim ratio sit, ex sententia rectissima Sctorum, anima legis, & ita simul fidei & legis, supremæ salutis populi, fundamentum: cum ratio, ex sententia sapientissima *Ciceronis*, sit lux lumenque vitæ, quod statim initium quærendi attulit, virtutem perfecit: ratio autem & lex seu iustitiæ omnis præscriptum sit, illud quidem, Deus, hoc, donum Dei: in consultationibus omnibus & rebus dubijs ad oracula, vel ipsorum Deorum suorum confictorum lieut, vel ad homines sapientes, & ratione recta præ cæteris valentes, recurrerunt. Sic Lacedæmonij, literarum & solidioris sapientiæ rudes, si quando doctrinarum ope auxilioque, vel delirantes, vel ægrotantes, aut alioqui publica calamitate affecti, indigerent, accersebant homines aut peregrinos, aut vaticinium Apollinis. Sic Ægyptij dicunt *Sesostridem* solertiam & consilia didicisse à *Mercurio*. Et, Romanorum virtutem quid magis auxit, quid potentiam eorundem terræ fere finibus terminauit, quam consilia de Regum & Principum suorum, cum Dijs, familiaribus & secretis congressibus & colloquijs, insomnijs? Ad singularium rerum & exemplorum enumeratio-

nem descendere operæ haud putamus pretium, cùm nec ipsi aduersarij lectione *Valerij Maximi* se prohibitos, affirmare velint. Hoc tantum dicimus, vsq; adeò rationem solam Ethnicos coluisse, obseruasse, vt alterius ad hanc accessionem, huius corruptionem certissimam prædixerint. *Pauidis*, inquit Tacit. de Pisone, *consilia in incerto sunt*. Et: *turbida sunt consilia eorum qui sibi suadent. Obstat alijs metus, alijs cupiditas, nonnunquam qua cogitaueris eorum naturalis amor*, inquit Cobatus ad ebrium tunc Alexandrum. Et quid mirum? Cùm enim ratio & affectus sibi contrarientur & opponantur, necessum, alterum quod facit ita in altero desit & contrarium huic efficiat. Ad affectus omnes impetu cum rapiamur, necessum in ratione impetus nullus sit, sed ipsa per se & in se constans & inuicta, & ita in inuicta hac ratione omnis felicitas vnicè & solum consistat. Ethnici hoc cum omnes fecerint, omnes obseruarint, & hoc ipso testati sint, extra rationem hanc nullam esse felicitatem, nullam salutem, ad hoc cum Ethnici omnes semper & vbique, rebus, dubiè fluctuantibus, emergentibus, manus tetenderint, cùm manifestissimè ostenderint, nullam aliam esse, nisi vnicam hanc, felicitatis & salutis consultando adsequendi, Deam, Ethnici, quibus obfuscatæ integritatis naturæ accessit, & vmbra tenebræq; mortis, qui Euangelij luce saluberrima nunquam fuerunt illuminati, in quorum animis tenebræ tenebris auctæ & duplicatæ, quis negare audebit, conspiratores hosce, & quidem omnes omninò in genere, extra rationem, Euangelium, salutem, felicitatem, consilium esse? Sic sanè est. Extra rationem si non essent,

vnà

vnà cum ipsis ad rationem & Deum properarent, & quidem feliciori tramite ac ipsi Ethnici, cùm rationi & lumen illud Euangelij accesserit præfulgidissimum. Nam & his, annon, dum consilium, adest dubitatio, dum dubitatio, dubitationem præcedens ignorantia, dum ignorantia, ignorantiam præcedens stultitia? Nec hoc probationem admittit, re ipsa, pro se ipsa, loquente. Si stultitia, ipsa stultitia stultissimum quemque annon conuincere poterit, id, quod stultitiæ contrarium, pro euitatione stultitiæ inuocandum? At quod tale? Sapientiam esse nemo, opinor, negabit. Si sapientia, quo vtendum medio, eò, ad sapientiam, vt deueniamus? Sapientia ipsa vera & immota consulta, *sapientiæ initium num non est timor Domini?* Fatetur & dicit scriptura. Si timor Domini, num non necessariò requiretur scripturæ ipsius sacræ cognitio? Sic sanè. Hæc enim sola est, & Deum docens, & demonstrans, & eiusdem timorem in nobis exuscitans, alens, confortans: hæc sola est, regem omnem & Principem, consilium omne consiliariumque faciens, ex stulto sapientem efficiens, veram felicitatem duraturamque, cultoribus suis, instillans: hæc sola est, quæ nulla alia ex causa, regibus & principibus, & omnibus tandem ad felicitatis scopum, felicitatis & temporalis & cœlestis, vergentibus, vnicè & solum à Deo ipso, præceptoque diuino commendata est: hæc sola est quæ Regem & Propheram *Dauid*, in consilijs omnibus & factis Deum solum adorandum, & eiusdem solius implorandum esse auxilium, edocuit: hæc sola est, quam in hunc finem à Deo sibi dari precibus vnicè exoptat indefessis sapiens ille *Salomon*: hæc sola est,

quæ

quæ consolatur, quæ conciliat, quæ consilit, quæ felicissimum reddit. *In mandatis* enim *Domini felicitas*, inquit Propheta, & *sine Domino perditio. Qui custodit legem, filius est sapientiæ, & non stultus: qui viam relinquet sapientiæ, morietur.* Et quidem vsque adeò scriptura hæc in consilijs & eiusdem cognitio in consiliario necessaria, vt non secus, ceu rationem sine affectu, sic hanc sine commento aliquo sapientiæ humanæ velimus esse, & id accedens, statuamus, planè & omninò omne consilium, in omni parte consilij, corrumpere, & propter corruptionem illam, effectum, non sapientiæ, sed contrarium omninò, interitum nimirum, stultitiæ mercedem condignam, consultantem incurrere & inuenire. Res, per se euidens quidem, propter cœcitatem tamen, impietate procreatam conspiratorum, eam comprobare necessum paucis intendamus. Præter id enim, quod expressis verbis scripturæ sacrosanctæ hoc ipsum plus quam apertissimè probatur, ex superius dictis, patet, consilium omne, quia consulit, & adiuuat, debere esse simul sua natura bonum. Bonum enim necessum sit quod bonitatem & felicitatem procreare debet. Nec enim nisi malum, ex malo: at, nisi ex scriptura sola, bonum hoc neutiquam deduci potest, quia verum, non, nisi ex scriptura. Nihil enim potest bonum, nisi simul sit verum. *Quod bonum est, vero iungitur, non enim est bonum, nisi verum*, inquit rectè *Seneca*. At neque verum esse poterit, neque bonum, nisi & vero & bono additum fuerit tertium, vnum nimirum, & ita, non nisi vnum consilium, consilium esse poterit verum & bonum. Si igitur vnum debet esse consilium, vt sit consilium, id est, auxilium,

Consilium sine mixtura sapientiæ humanæ, quia vnum.

moribus

moribus & consuetudinibus omnium gentium adstruentibus : *in vnum*, enim, aiunt, *consulere*, & *consilium à conciliando* diuersa, Latinæ linguæ Scriptores & Grammatici docent, necessum omninò, duplex consilium & mixtum, destructiuum esse, non auxilium ; corruptiuum, non exædificatiuum. Et ipsa Scriptura annon decidit, & Spiritus Sanctus per Scripturam numnon adstruit, consilium, aliqua ex parte extraneo aliquo mixtum, effectum illum, quem posuimus, procreare ? Tam certum, tam clarum, tamque manifestum, vt vel natura ipsa immotum & notum, inter natura ipsa contraria, nullum esse posse, sine destructione, si non vtriusque, alterius tamen certè, contubernium. Quis tam prudens, tam consultus natura, vt ignem aqua conciliare, siccitatem humiditati iungere, sine dispendio vtriusque ; *Ex vtroque* enim *quod est, neutrum est*, vt rectè Philosophi ; vel vnius ? Pari autem modo diuina cum sese habeant ad humana, & planè sint omninóque sua natura contraria, quis aliter, quam ita, ad destructionem nempe ipsius in consilium assumtum quod est, concludere valeret ? Si enim solus Deus verax & ipsa Veritas, quia omnis homo mendax, &, si omne, ex homine quod est, quia peccatum est, nihil est, quomodo iam vero iungi, quomodo in vnum consilium & corpus coalescere poterit ? Si omnia hominis stulta, vt stulta, vt stultissima, quomodo vinculo familiaritatis, cum sapientia, ad constitutionem vnius corporis, adgregari ? Si propria omnis inuentio hominis malitia, vt ma-

quæ consolatur, quæ conciliat, quæ consilit, quæ felicissimum reddit. *In mandatis* enim *Domini felicitas*, inquit Propheta, & *sine Domino perditio. Qui custodit legem, filius est sapientiæ, & non stultus: qui viam relinquet sapientiæ, morietur.* Et quidem vsque adeò scriptura hæc in consilijs & eiusdem cognitio in consiliario necessaria, vt non secus, ceu rationem sine affectu, sic hanc sine commento aliquo sapientiæ humanæ velimus esse, & id accedens, statuamus, planè & omninò omne consilium, in omni parte consilij, corrumpere, & propter corruptionem illam, effectum, non sapientiæ, sed contrarium omninò, interitum nimirum, stultitiæ mercedem condignam, consultantem incurrere & inuenire. Res, per se euidens quidem, propter cœcitatem tamen, impietate procreatam conspiratorum, eam comprobare necessum paucis intendamus. Præter id enim, quod expressis verbis scripturæ sacrosanctæ hoc ipsum plus quam apertissimè probatur, ex superius dictis, patet, consilium omne, quia consulit, & adiuuat, debere esse simul sua natura bonum. Bonum enim necessum sit quod bonitatem & felicitatem procreare debet. Nec enim nisi malum, ex malo: at, nisi ex scriptura sola, bonum hoc neutiquam deduci potest, quia verum, non, nisi ex scriptura. Nihil enim potest bonum, nisi simul sit verum. *Quod bonum est, vero iungitur, non enim est bonum, nisi verum*, inquit rectè *Seneca*. At neque verum esse poterit, neque bonum, nisi & vero & bono additum fuerit tertium, vnum nimirum, & ita, non nisi vnum consilium, consilium esse poterit verum & bonum. Si igitur vnum debet esse consilium, vt sit consilium, id est, auxilium,

Consilium sine mixtura sapientiæ humanæ, quid vnum.

moribus

moribus & consuetudinibus omnium gentium adstruentibus : *in vnum*, enim, aiunt, *consulere*, & *consilium à conciliando* diuersa, Latinæ linguæ Scriptores & Grammatici docent, necessum omninò, duplex consilium & mixtum, destructiuum esse, non auxilium ; corruptiuum, non exædificatiuum. Et ipsa Scriptura annon decidit, & Spiritus Sanctus per Scripturam numnon adstruit, consilium, aliqua ex parte extraneo aliquo mixtum, effectum illum, quem posuimus, procreare ? Tam certum, tam clarum, tamque manifestum, vt vel natura ipsa immotum & notum, inter natura ipsa contraria, nullum esse posse, sine destructione, si non vtriusque, alterius tamen certè, contubernium. Quis tam prudens, tam consultus natura, vt ignem aqua conciliare, siccitatem humiditati iungere, sine dispendio vtriusque ; *Ex vtroque* enim *quod est, neutrum est*, vt rectè Philosophi ; vel vnius ? Pari autem modo diuina cum sese habeant ad humana, & planè sint omninóque sua natura contraria, quis aliter, quam ita, ad destructionem nempe ipsius in consilium assumtum quod est, concludere valeret ? Si enim solus Deus verax & ipsa Veritas, quia omnis homo mendax, &, si omne, ex homine quod est, quia peccatum est, nihil est, quomodo iam vero iungi, quomodo in vnum consilium & corpus coalescere poterit ? Si omnia hominis stulta, vt stulta, vt stultissima, quomodo vinculo familiaritatis, cum sapientia, ad constitutionem vnius corporis, adgregari ? Si propria omnis inuentio hominis malitia, vt ma-

litia, quomodo ferre poterit in vna domo, imò in vno corpore malitiam bonitas? Facilius certè est aquam igni, quam hæc inter sese, conciliare. Annon illa, de quibus nos diximus, imò *ipsa consilia Dei & hominis*, effectu ipso inter se planè *contraria, à Spiritu Sancto opponuntur*? Annon *cogitatu cordis & verbum Dei*? Annon de illis, hominum nempè cogitationibus, certum effectum earum esse interitum ipsi consulenti, ipsi concilianti? Hæc autem sola esse vera, esse bona, esse vna, esse conseruantia? quia illa tantum imaginaria? Annon rectè interitum ipsum illa talia inferre rectè concluserimus? Diuisio namque in hisce talibus est consilijs, quæ, vbi est, felicitas, & consilium, & bonum & verum, ibi quomodo esse poterit? Pœna, diuisio, est diuina, & hostis euersoria. Sic enim DAVID: *Diuidit Deus inimicos meos ante me*. Pœnam prouocat diuisio diuinam. *Diuisum est cor ipsorum*, dicit Propheta, *dissoluta est lex*, quia vnum gratia & donum Dei est. *Dabo*, ait Dominus, *populo meo vnam viam, cor vnum*: Vnum, nomen maiestatis diuinæ & aliorum, speciali titulo hoc honoris, insignitorum. *Vnus Deus*, inquit Scriptura, *una Fides, vnum Baptisma. Vnus est Dominus, vnum nomen eius*. Si igitur propter naturæ vtriusque contrarietatem coniunctio neutiquam esse poterit aut sperari, & tamen in altero horum sit benedictio, & quidem ex parte Dei seu Scripturæ, vt denegare poterimus, ex parte contraria non esse maledictum, & interitum temporalem æterno coniunctum? Quod enim sine

Deo

Deo & Scriptura, vanum, quia mendacium, & mendacium, quia vanum seu vanitas & stultitia & malitia, & nullum. *Stultum sine Deo consilium*, apud homines licet illud appareat sapientissimum : *imaginarium est : desolationem terra, ruborem*, sic enim passim loquuntur Prophetæ, *pœnam, malum, & æternum maledictum in Auctorem secum trahens.* Et hæc quidem de simplicitate consilij quæ diximus, vsque adeo constantes asserimus esse tenenda, vt neutra consilij in parte, mixturam humanæ sapientiæ cum diuina admittamus : sed econtrà omni ex parte absolutè eandem reijciamus, & tam in scopo ipso, quam modo exsequendi seu perueniendi ad scopum, nil, nisi diuinum, nil, nisi sacris literis probatum, nil, nisi præceptis diuinis conueniens, legitimum & felix agnoscamus. Natura ipsa annon homines docuit, stultum esse in consuenda veste securi quem vti & forcipe ignito ? Annon ius, ex naturæ & rationis penu ditissima desumptum, hoc, quod rectè intendimus, ita præscripsit, legitimo tantum in iure suo persequendo vti omnem debere modo & medio ? Et iure diuino quid notius, quam, *non esse facienda mala, vt eueniant bona* ? Vsque hæ, & naturæ, & iuris, & Scripturæ regulæ obseruandæ, vt contrarium si fuerit actum, contrarius planè & omninò sequatur quoque effectus, & auxilium in exitium, compendium vertatur in dispendium. Si enim securi vtatur sartor, quid aliud quam corruptio ? Si iure non legitimo, in re legitima licet, quid aliud quam iuris amissio sequitur & pœna ? Et quomodo

Consilium sine pietate stultum.

ſine peccato fieri vllo modo, iure diuino poteſt, vt Deum honore afficere volens, eundem non potius vituperet & blaſphemet, ſi honorem illum cultumuè, ab eo, quod cultui illi planè & abſolutè contrarium eſt, incipiat? Certè totum illud, honori quod eſſe debuerat, in contumeliam vertitur. Quod & in hoc ipſo, quod deſcribimus, conſilio, plus quam manifeſtum ex ſuperioribus. Cùm enim conſilium, & ratione ſcopi, & ratione modi exſequendi, vnus ſit actus, vnum corpus, quomodo illud iam bono & malo, rebus, natura ſua planè diſſidentibus, conſtitui poterit? Nunquam inter Chriſtum & Belial concordia. Et ſimili modo rem ſeſe habere ex vno illo & continuo conſilij actu concludere cordatus quiſque poterit in medio legitimo, & ſcopo malo. Vt enim legitimum ſcopum illegitimum facit modus illegitimus, in tantum, vt totum hoc in contrarium agat, eo, quo diximus, modo: ſic & vice verſa, ſcopus illegitimus & impius, medium, aliàs omni iure approbatum, facit & illegitimum & impium, & impietatis clades iuſtiſſimas infligit auctori. Res, exemplis licet confirmari poſſet infinitis ex omnium hiſtoriarum monumentis, profanis quoque, ex ſacris tamen tantum literis ſufficere nobis exiſtimamus ad huius ſententiæ noſtræ confirmationem, exemplum filiorum *Iſrael*, qui, ex præſcripto verbi diuini, ſcientes, ſcopum illum, qui erat in ſubiugandis hoſtibus, à Deo tales declaratis, eſſe iuſtiſſimum, ne tamen ſcopum hunc, propria ſapientia in ſtultitiam verterent, de modo dubitantes, ad Deum

Conſilium, actus vnus.

ſolum

ſolum confugiunt, &, defuncto *Ioſua*, Deum, quiſnam præcedere & bellum contra Cananitas debeat gerere, interrogant, quo facto, & ſucceſſus ipſe feliciſſimus conatui horum omni reſpondet, teſte ſcriptura, qui ſucceſſus tamen planè eſt contrarius filijs *Iſrael*, à filijs *Beniamin*, ter, acie fuſis. At quare? Textum ipſum ſi conſuluerimus, quia de medio Deum conſulebant, quem de ſcopo neglexerant. De ſcopo enim eſt: *Vos omnes eſtis filij Iſrael: Date ergo veſtrum conſilium, & quid vobis videatur.* Si enim exitum voluiſſent felicem, Deum ipſum prius, neceſſum fuiſſet, cum *Dauide*, adijſſent, qui tam in ſcopo quam in medio ſeu modo, ad Deum ipſum ſolum confugit, & hoc facto optatam ab hoſtibus reportat victoriam, quam certè neutiquam conſecutus fuiſſet, ſi medio neglecto legitimo, cum *Saule* impio, impietate medij ſcopum violaſſet & corrupiſſet pium, aut cum Aſſyriorum Rege, præceptum quoque à Deo datum, & legitimæ executioni mandandum, proprijs affectuum humanorum vitijs in ſui interitum conuertiſſet. Vt autem medium illegitimum, ſcopum ipſum impietate, euentum infelicitate infamat, ut iam abundè demonſtratum, ſic & ſcopus, medium, alias legitimum, eodem modo parique felicitate remunerat. Licet enim medium illud, quo conſpiratos & parricidas, & patriæ inſidiatores *Abſolon* verebatur, & conſilium, quod *Achitophel* conſpiratori ſubminiſtrabat, tale erat vt ipſe etiam *Dauid* contra illud preces ad Deum fundat, & exclamet: *Domine, verte conſilium Achitophel in*

lis in ſtultitiam : & iterum conſilij illius bonitatem verens, ad Iſhai : *Si reuerſus fueris, poteris in nihilum reducere conſilium Achitophelis* ; licetque ipſæ Scripturæ textus fateatur, illud eſſe bonum conſilium, quid tamen exinde ad auctores, propter ſcopum iniuſtum & iuri diuino contrarium, quam *Abſolemo* ſuſpendium, *Achitophelí* laqueus, & populo conſilium hoc bonum qui ſequebatur, interitus ? Quo igitur impietatis prolapſi illi qui nullum putant eſſe conſilium, nullum exiſtimant poſſe eſſe conſiliarium, niſi ad bonum ſcopum conſequendum, qui fraudulenta *Machiauelli* & impia ſciat vti machinatione? qui, talia conſilia, principibus ſuis & dominis ſubminiſtrando, ſolum conſiliarij prudentis nomen venantur, & alium, ſimpliciore, legitimo quamuis, modo vtentem, ſimplicem, & conſiliarij nomine indignum, vel clam, vel palam, calumniantur ? Genus ſanè hominum, in aulis Regum & Principum frequentiſſimum : in aulis Regum & Principum, honoratiſſimum : in aulis Regum & Principum, præmio, & ſapientiæ nomine digniſſimum. Quod genus conſiliariorum hodiè gratius, quod acceptius, quod ſapientius apud politicos, quam quod vult & ſuggerit, in vincenda ciuitate aliqua illum adhibendum omninò modum, impijſſimum licet, quem Romani olim & reliqui impij & Ethnici, corrumpendos nimirum eſſe mores populi ciuitatis euertendæ, impijs ludorum ſpectaculis, luxurioſis gulæ irritamentis, adulteræ Veneris, clandeſtinis & publicis ad peccandum incitamentis : in adquirenda aut retinenda amicitia vi-

cinorum

cinorum Regum, Principum, populorum, linguam retinendam juratam, iniuratam mentem, promittendam multum vultu blando, ore ridente, manu largiente, corde tamen nihilominus insidias, deceptiones, inimicitias, machinante. Duplex peccatum, duplex scelus, & amicitiam simulare, & inimicitiam fraudulenta fictione, nomine virtutis vitium pessimum contegere: peccatum committere, & alios ad idem faciendum, ficta benevolentia, inducere. Diabolum certè talis consiliarius imitatur patrem, Diaboli fraudes sedulus sequitur, ipse peccando, & alios in simile peccatum similemque condemnationem secum præcipitando. Duplici quoque exinde pœna dignus, quam, consiliarium talem non effugere, tristis, satis superque testatur experientia. *Tristissimi certè*, cum Danæo loquimur, *& planè tragici exitus & naufragia eorum, qui huiusmodi Machianelli præcepta, tanquam suam in regenda republica cynosuram sequuti sunt, illa eorum naufragia reddunt totam illam præceptorum illorum* (Machiauellicorum) *collectionem, velut formidabilem scopulorum occursum, detestandam ac infamem. Nam, vt ex infinitis eorum exemplis, pauca, & quidem dicis gratia, deligam, vel vnius Cæsaris Borgia exitus fœdissimus ostendit, quam sit funesta omnibus rempublicam gerentibus istius Machianelli doctrina & præceptio. Et quidem minimè dubium est, quin Cæsar Borgia, Alexandri Sexti Pontificis Romani filius, amplexus fuerit, imò præ oculis habuerit Machianelli dogmata politica; quin verò ipse Machiauellus, cum illum Principem eximium formaret,*

formaret, habuit ante oculos Borgiam ipsum, velut absolutissimum illius Principis sui tabellam ac ideam, vt si cui benè feliciterque vnquam Machiauellica politia cedere debuit, vnum maximè hunc Borgiam, tanquam perfectissimum & ipsissimum illius exemplar, esse felicissimum oportuerit. Verum, quid accidit? Secus omninò, quam omnes fortasse mortales, Machiauellicorum scriptorum amantes, vellent aut existiment. Omnium enim hominum infelicissimus infortunatissimusque tandem extitit Cæsar ille Borgia. Quid enim? Vrbinatem Ducatum (quæ est minima quædam Italiæ portio, & dignitas occupatu facilima) Borgia iste, & tamen, per infinita scelera solum inuasit, vix occupatum retinet, idque etiam ad paucos duntaxat annos, tandem ex eo ipso Ducatu, imò ex tota Italia, deiectus, inuisus generi ipsi humano, & velut hominum ἀλάστωρ ex hominum consortio exclusus, in culina Regis Arragoniæ, miser, exul, mendicus, diu latitans, iure culinario offaque rancida, velut in spurcissimo fœdissimoque carcere, victitat, ac tandem illic, inglorius, exosus, hominum vocibus omnium allatratus, infelicem animam proiecit & exflat. Hic Principis Machiauellici tristissimus exitus fuit. Alterum tragici, Machiauellicorum consiliorum, exitus exemplum est in Ludouico Sforcia. Hic enim fuit in præceptis istis apprimè institutus, ac solerter ea omnia ad vnguem obseruans, tandem Mediolanensem Ducatum, sed magna cum perfidia, vsurpauit & ad tempus tenuit. Verum ex eo postea, Gallorum armis expulsus, vnà cum vxore in arce Lochiana in Gallia diu miser & captiuus vixit, & consenuit, & in eadem,

eadem, cum præceptis iſtis Machiauellicis, mortuus ac ſepultus iacet. Hactenus ille, quam benè, quam rectè, quam piè, quis, omnium, qui non intelligat? quis, omnium, qui non infelicem quoque, & pœnæ omni, tam diuinæ quam humanæ, ſubiectum eſſe concludat Regem illum & Principem, qui veritate illa diuina, & ſola felicitatis via, relicta, pios, aula ſua & conſilio, extorres eijcit, & tales tantum, qui præceptis illis impijs imbuti, nihil aliud, quam pompoſo inanium verborum ſtrepitu detonare ſciunt, alto ſupercilio in conſilium ſuum, amplo & regio deligit & cooptat ſtipendio? Certè vt ab hiſce nil, niſi interitus, toti regno, ſic ab illis ſolis eidem ſalus & felicitas, ſi pij nimirum fuerint, & Scripturæ ſacræ cognitioni, & lectione & vita incubuerint, & ex hac tantum, omnium fundamenta conſiliorum ſuorum, ex omni & in omni parte conſiliorum deſumſerint, vt quæ ſola ſuppoſita, felicitatis arcem imponi ſibi patiatur, quod & aduerſarius, & perditionis filius benè intelligens, animaduertenſque, ad poteſtatis omnis temporalis faſtigium ſupremum eniti ſeſe non poſſe, neque gladium, patrum patriæ manibus pijs, impio conatu, excutere, & vno pede cathedram ſacram, altero ſacrum corpus vncti Domini & Vicarij Dei, conculcare, medium illud, impediri ſeſe quo benè ſentiebat, aſturè, è manibus primum & oculis, poſt deinde ex cordibus quoque, ſuperſtitione vana, & conficta traditione in locum illius (Scripturam volumus) ſubſtitutis, extorſit, ſeu, vt loquitur Spiritus Sanctus apud Propheram, *fura-*

tus est, & tandem, Domino permittente, sequutus exemplum Mytilenensium, qui, cùm maris imperium tenerent, socijs, qui desciscebant, hanc imponebant pœnam, vt liberos suos non docerent literas, neque artes liberales, omnium suppliciorum hoc grauissimum iudicantes, in insciti a & artium liberalium ignorantia vitam transigere : Reges simul omnes & subditos, lectione & studio sacræ paginæ, vnico & solo felicitatis omnis propugnaculo non tam deiecit, quam ita deijciendo, illos, quos deiecit, in æternam miseriam & asperrimam seruitutem, præcipitauit. Scriptura igitur, cum sit sola, id, cui superinstructa consultatio, felicitatis immotæ & veræ naturam imbuit : sine illa enim nihil stabile, nihil firmum, nihil felix : haud incongruè, sed rectissimè statuerimus, pietatis, in omni consiliario, quia in omni consilio potissimum & præcipuum, si non vnicum & solum, ratio, vt quæ sola sit id, quod & consiliarium & consilium verum & genuinum, constituat : præcipuam habendam esse rationem, omnium verò reliquarum virtutum, quarum quidem quoque in vtroque, tum consilio, tum consiliario formando, vtilitas non exigua, per aliquam tantum consequentiam. Nec enim ita sumus impudentes, disciplinas alias, variæque experientiæ exercitia politica vt excludamus. Scimus namque nullam posse esse felicem aut feliciter administrari rempublicam sine gladij exercitio percutientis, sine bellico apparatu horrido, sine milite duro. Arma, armamentaria, belli duces, Capitaneos, Imperatores, milites, non reijcimus ; sed,

ſed, niſi pietas ipſa vna cum illis ſociata fuerit & iuncta, impietatem viri experientiæ & felicitatis laudem omnem & ſpem, dicimus eneruare, annullare, euertere. Non reijcimus, inquam, in exſequendi tamen tantum modo, non autem in ſcopo ipſo. Nec enim vnumquemque ad executionem, modumque exſequendi aptum iudicamus. Experientia namque edoctum, niſi reliquis hic præferremus, in naturæ ipſius præcepta immota, impingeremus, & contra omnem diuinam legem, naturæ quoque & conſuetudinem omnium gentium poſitiuam, vt quæ non alium, quam virtutibus imperatorijs armatum, in inſtando fortitudine, in inſequendo prudentia præſtantem, in conſultando facilem, expeditum, promptum, in laborando vigilem, in acie inſtruenda, in ordinando milite verſatum, Imperatoris muneri præfectum volunt, & irrito & impio conatu ageremus. Iure igitur, tam diuino quam humano, tam gentium omnium quam ciuitatum & regnorum, cum firmatum, receptum, rationem tantum & Scripturam ſeu Deum, eſſe vnum illum & ſolum, felicitatis adipiſcendæ, augendæ, retinendæ, vindicandæ, modum, & econtrà, omne, hiſce contrarium, nihil aliud quam initium, medium & complementum, infelicitatis omnis & infortunij, quis non nobiſcum rectè affirmaret, Conſpiratores omnes eſſe extra rationem omnem poſitos, eſſe miſerrimos & infortunatiſſimos omnium, & nihil aliud mercedis loco ex labore tali impio, cui tam attento dediti ſunt ſtudio, adquirere, quam & pœnam corporalem & ſpiritualem, pri-

uationem huius & æternæ vitæ ? Regicidijs, Conſpiratores, parricidijs, ſanguine, Templum Domini exædificatum vultis ? Religionem veram extirpatam, veſtram propagatam ? Scopus, honeſtuſnè ſit an inhoneſtus, legitimus an illegitimus, pius an impius, non opus pluribus probemus vel improbemus, cum, qualis ſit, vnicuique pateat : modus ipſe num non talis, vt ſcopum, legitimus ſi eſſet & pius, illegitimum & impium reddere qui valeat ? *Dauid*, Rex & Propheta, vir, ſecundum cor & voluntatem Domini, Domino ipſo atteſtante, animum, pio motu, quia pius & Propheta, inducit, Altiſſimo exædificare domum : & tamen hoc omni neutiquam attento, quid reſponſi accipit per Prophetam, ab Altiſſimo ? *Non poteris mihi exædificare domum, quia ſanguine plenæ ſunt manus tuæ.* En Rex, en Propheta, en ille, qui erat vir ſecundum voluntatem Domini, en ille qui bella legitima, quia Deo iubente, geſſerat, prohibetur re optima, re deuota, propter effuſum ſanguinem iniuſtiſſimum iuſtiſſimè : & vos, Conſpiratores, vos priuati, vos ſubditi, ſanguine innocentiſſimo, ſanguine innocentiſſimo vncti Domini, ſanguine Vicarij Dei, ſanguine filij Altiſſimi fuſo, Templum Domini exædificatum vultis, exædificare conamini, exædificandum aſſeritis ? Heu miſeros, vos, heu cœcos ! Corpus veſtrum, carnifici, eculeo, fœminas veſtras, miſeriæ, exilio : liberos veſtros, mendicitati, egeſtati : familiam veſtram totam, maculæ, orbi ipſi inuiſæ : amicos veſtros, infamiæ tantum ſi contraderetis ; ſi ſupplicium condignum & corporis

Conſilium regicidarum & conſpiratorum vltimum, quia contra pietatem, contra ſcripturam.

poris horrenda mors & mors eſſet ſimul morti æternæ, animamque infelicem cum corpore interimeret miſero, ſatis eſſet, vel peſſimo cuique argumenti, ſatis momenti, vel amore proprij corporis, filiorum, amicorum, ſceleſtum hoc, peſſimum hoc, execrandum hoc conſpirationis omnis crimen, cane peius & angue, ſumma vi neruiſque omnibus fugeret & euitaret. At, heu! heu dolor! heu miſeria! vt corpus, vt famam, vt omnia conſpiratores interitui mancipatis ciuili, ſic animam ipſam veſtram in mortem præcipitatis æternam. Nec enim ſolum ſine Deo, ſine Scriptura, conſilium veſtrum, ſed planè contrarium Deo, contrarium Scripturæ, contrarium ſaluti. Non enim nudis, Spiritus Sanctus, vos corripit verbis, apud Prophetam cum maximis cenſens peccatis, iram in populum ſuum euocantibus, veſtram hanc, innocenti ſanguine ciuitatum & templorum exædificationem: *Exædificant Zion ſanguine, & Hieruſalem iniquitate.* Et iterum: *Hæc dicit Dominus Deus, Ciuitas hæc effundit ſanguinem in medio ſui, vt tempus adueniat, & facit imagines & idola contra ſe, vt ſemetipſam polluat. Peccaſti in ſanguine quem effudiſti, & polluiſti te idolis tuis quæ feciſti, & feciſti appropinquare dies tuos, & venſti ad finem tuum: ideo ego te feci contemptum gentibus, & irriſionem omni terræ.* Et iterum: *Hæc dicit Dominus Deus, Vos comeditis cum ſanguine, & oculos veſtros eleuatis ad idola veſtra, & ſanguinem effunditis: poſſidebitiſne igitur terram? Inclinatis in enſibus veſtris, operamini iniquitatem. Ita viuam, inquit Dominus, non poſſide-*

bitis terram. Non, inquam, nudis vos corripit verbis, sed æterno Væ. *Væ illi*, inquit Propheta, *qui ædificat vrbes sanguine, & erigit ciuitates iniquitate*, imo maledicto æterno percutit & damnat. *Maledictus*, inquit Dominus Deus fortis ille & Zelotis, *qui clam percusserit proximum suum. Et dicat omnis populus*

Amen.

FINIS.